



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Octobris

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Gibellinis: Carolus Conradino: Robertus Saracenis. Contra quos primus victoriam exportavit. Quibus prostratis, facilius successit, de alijs victoria. Unde Carolus Romam triumphans intrauit, & a Clemente successore beati Urbani rex est coronatus. Caterum sanctus Urbanus festum sacratissimi CORPORIS CHRISTI, quod Leodij celebrat, ultimo anno sui pontificatus, per totam ecclesiam celebrari constituit. Quod, dum de beata Juliana ageremus, latius explicuimus ad quintum diem Aprilis. Beatus autem Thomas hoc pontifice petente officium diei conscripsit: & Cathedram in Euangelia. Plura de eo a Trecentibus petantur. Ab his enim, ut scribit Chronographus Bertinensis, sanctus Urbanus nominatur, & in eius honorem ecclesiam ædificarunt, in medio ciuitatis, in loco, ut asserunt, domicilij, siue natiuitatis eius.

2. Videatur promptuarium antiquitatum Trecentis.

Primo die OCTOBRIS.

1^o. De sancto Bauone, Principe & Confessore, patrono Gandensi.

Ex officio potissimum Gandensis ecclesie.

Calendis Octobris, in portu Ganda, sancti BAVONIS confessoris, cuius gesta habentur. Et Calendis Augusti, eleuatio sancti Bauonis, pij confessoris. Itaque Alloynus cognomento Bauo, sanctissimus & celeberrimus confessor, patrem habuit Agilulphum, Hasbania Comitem, fratrem patrualem Carolomani, cuius filius fuit Pipinus à Landa, quem primum vocant Brabantia Ducem. Primum militauit sub Imperatore Mauricio, & sub regibus Francia, ac Austrasia. Deinde contemptis opibus & honoribus, atque à beato Amando Tungrorum episcopo Christi gloriam plenius edoctus, soli Christo crucifixo militare statuit. Et licet Mauricius lege

Lib. 2. rege-
 stis epist. 61.
 § 64.

lata prohibuisset, nè quis ex sæculari militia ad
 monasticam vitam transiret, in proposito tamen
 constanter perstirit, suffultus favore Clotarij &
 Dagoberti regum; animatus quoque à Gregorio
 magno, qui militum pium studium aduersus
 Mauricium defenderat. Pecuniam & thesauros
 in pauperes distribuit: terras ac prædia quæ in
 Brabantinorum agro alibiq; plurima possidebat,
 in pios vsus contulit. Gandæ ad Scaldis & Legiæ
 confluentiam, eodem diuo Amando promotore,
 in honorem sancti Petri monasterium extruxit,
 egregieque dorauit, quod ab eo postea denomi-
 natum est. In eo monasterio tonsura clericali à
 beato Amando insignitus, aliquot annis agens
 pœnitentiam, solique Deo inserviens, cum omni
 sanctitate vitam hanc temporalem, cum æterna
 commutauit, Calendis Octobris, anno sexcente-
 simo trigesimo primo. Cuius etiam imitatione
 Gertrudis & Begga Pipini filia, sese puriori vite
 addixerunt: multique principes, viri, feminae-
 que, ipsius exemplum secuti, sanctimonie lau-
 dem apud posteros meruerunt. Quantum quam-
 que magni nominis fuerit, non solum miracula
 patefecerunt: quodq; multe ecclesie, inter quas est
 Harlemensis, sub eius inuocationem & patrocinio
 sint constructæ: sed etiam quod viri celeberrimi eum
 religiosissime visiterint. Beatus Amandus, magnus
 ille Flandrorum Apostolus noluit abesse, cum ex
 hac vita migraret. Domlinus * religiosissimus
 presbyter, ex Turolo Angelico ducatu aduenit,
 ut ante mortem sancto Bauoni sacre Eucharistia
 viaticum traderet. Beatus Liuinus archiepiscopus
 & martyr in Flandriam veniens, triginta diebus
 super sancti Bauonis sepulcrum Missarum solen-
 nia ce-

nia celebravit, & cum conuertendis infidelibus operam dabat, Florberto abbati in sancti Bauonis memoriam elegiacum carmen transmisit. Sed & Eligius præsul non modo sancti Bauonis reliquias visitauit, verum etiam eadem è terra honorificè eleuauit Calendis Augusti. Eodem die, sed anno millesimo decimo, cum per calumniam sparsum fuisset beati Bauonis reliquias nunquam è Lauduno clauato repportatas esse, aut saltem furto sublatas esse, Eremboldus abbas, huius mendacij, confutandi causa, omni populo præsentè, sacros cineres & ossa, in præstantiorem thecam transposuit; atque paralytica Mensunindis, puella Antuerpiensis, mox perfectam sanitatem recepit. Quiescit cum Liuino, Landoaldo, Macario, alijsque sanctis Gandau, quæ prima est & maxima Flandriæ ciuitas, in cathedrali sanctorum Bauonis & Ioannis Baptistæ ecclesia, estque totius diocesis patronus.

Verum non incongruè fecero, si paucis Gandensis ecclesiæ progressum subiecero. Hanc enim opibus præcipuè sancti Bauonis, fundauit sanctus Amandus, non tamen monachos initio, sed clericos simul viuentes, instituit, quibus amotis, quòd licentius viuerent, monachos sancti Benedicti collocauit, sub abbate sancto Florberto. Qui cum multum sanctitate & doctrina clarent, multis bonis & priuilegijs dotati sunt etiam ab Imperatoribus, Carolo magno, Ludouico pio, Othone secundo. Inter hos Hildebertus, octauus fuit abbas Gandensis, qui contra fautores Imperatoris Constantini Copronymi, non modò verbis, sed etiam sanguinis ac vitæ profusione confirmauit pium imaginum cultum.

Rurfus,

Rurfus, inter hos Einardus, Caroli magni Cancellarius doctiffimus; qui fama monafterij clariffima inuitatus, habitum in eo religionis fufcipere non dubitauit, factusque eft abbas decimus quintus; idem qui præclariffimas reliquias fanctorum Petri & Marcellini, è Roma Gandenfi fuæ ecclefiæ procurauit. At poft felicia Einardi tempora, Nordmanni barbara crudelitate Gandenfe monafterium cum alijs coneremarunt, totamque Flandriam vaftrarunt. Tunc monachi fancti Baionis, cum fancti corpore & ecclefiæ munitimentis confugerunt ad fanctum Audomarum, inde Laudunum & alio. Centum propemodum annos exfularunt, femper tamen quantum licebat, in communi viuiebant, fub vnius capitis obedientia: & corpus fancti Baionis, ceu pretioffimum thefaurum fecum ferebant, & eo in tantis miferijs vtcunque fe confortabantur. Tandem circa annum nongefimum quadrageffimum relato corpore, facta eft cœnobij reftauratio, per Arnulphum Comitum, & fanctum Gerardum Bronienfem, virum eximium, qualem omnino illa tempora poftulabant. Qui vigefimus abbas cœnobio præfuit, annis plus minus quindecim. Efti verò hoc monafterium multis bonis exutum fit, Nordmannorum direptione, monachorum exilio, maris inundatione, principum quorundam iniuria ac violentia, alijsque trififfimis occafionibus, Dei tamen fauore, & præfentium fanctorum fuffragijs, ac interceffione, non penitus exhaustum eft. Nam ex eius prouentibus clerus cathedralis ecclefiæ fancti Baionis Gandenfis, in hodiernum diem honefte fuffentatur. Eft enim monafterium anno trigefimo quinto per Paulum tertium, procurante id

te id Carolo quinto, cui patria fuit Gandauum, reductum ad Canonorum statum, quem primitus habuit. Qui paulo post eum monasterialis locus alijs vsibus deputabatur, transmigrarunt ad parochialem ecclesiam sancti Ioannis, quæ nunc est cathedralis sancti Bauonis. Wandelbertus Calendis Octobris post memoriam sanctorum Remigij & Germani præsulum, addit;

Hos virtute Bauo, & sancto comitatur honore.

Est & aliud carmen Flandris notum.

Ante perit mundus, Veniat quàm Bauo secundus.

Sanè memoriam huius principis etiam etate Caroli magni celebratam fuisse, ex Usuardo cognoscitur. Pingebatur olim cum scepro in manu dextra, vnà cum stricto & erecto gladio; in altera autem manu librum tenens. Sic vetustissimæ picturæ ante annos quadringentos & quingentos declarant. Iam autem passim in vna manu sceprum tenet. in altera gladium. Pileum autem gestat in capite, & vestem oblongam, more principis. Harlemenses dant ei gladium & falconem.

a. *Quæ hîc dici possent de S. Remigio, dicta sunt die 13. Ianuarij.*

b. *De Dôlino Meyerus an. 650. In pago Flandrensi cœnobio Zarthelensi per eosdem dies Dominus presbyter sanctitatis gloria nemini cedit.*

2º. *De sancto Piato, martyre Tornacensi.*

Ex Martyrologio, historia Breviarij, & admonitione D. Agidij Froidari Fanopiensis.

C iuitate Tornaco, passio sancti PIATONIS presbyteri, qui cum beato Quintino eiusque socijs, ab vrbe Roma Galliam prædicationis causa expetijt, ac postea consummato martyrio migravit ad Dominum. Dicitur Beneuenti finibus or-

Octobris 1.

IN NATALES

bus ortus, & cum beatis martyribus Quintino, Lucio, Luciano, Albino, Crispino & Crispiniano ab vrbe Roma Gallias causa prædicationis expe- tiisse, in persecutione Maximiani. Cùm autem in vrbe Tornaco plurima multitudo populi ad Christum est eruditione Piatì sancti prædicatoris conuersa, quæ docuerat eadem eodem in loco suo martyrio consignauit. Milites enim eum perse- quentes, primum socios gladijs occiderunt; cum- que eum viderent sociorum nece non moueri, sed constanter Dei gloriam prædicare, vnus euagina- to gladio caput pretiosum abscidit. Quiescit Si- clinij in territorio Melantesio, vbi in honorem martyris & primi Apostoli Tornacensium, est clericorum siue Canonicorum collegium. Cuius mentio est in libro 3. Decretalium. Initium au- tem iecit sanctus Eligius. Natalem Vsuardus ha- bet Calendis Octobris, quem Tornacensis eccle- sia eo die, & per octauas celebrat, translatio^r verò annuè recolitur quarto Calendas Nouembris, quam fecit Eligius episcopus; qui etiam monu- mentum martyris mirificè exornauit, vt ex cultu sepulcri ostenderet quantus sit martyr apud Deum in curia cæli.

De prob.
ca. 17. 18.

Siclinienses celebrant etiam festum eleuati capitis, feria quinta post Dominicam qua canta- tur introitus Missæ, Cantate.

Quod autem ad corporis pheretrum attinet, est hoc quidem argenteum, deauratum, & ele- gans, sed videtur longè recentius quàm vt id esse possit quod sumptibus Dagoberti regis Franco- rum diuum Eligium aurificem ante episcopatum susceptum illi confecisse scribit sanctus Andoë- nus. Idem tamen diui Piatì corpus^r Carnutes in
Celtica

Celtica sese habere perhibent, & complures Canonicos ad eius memoriam pridem institutos. Fortassis autem Franci cum regionem hanc non semel peruagati sunt ac foedè diripuerunt, feretrum illud vetus illuc asportarunt, corporis sacri reliquijs antea per Siclinienses extractis & celatis, quibus postea aliud extrui curarunt.

Quod porò ad picturam attinet, quidam eum propter Apollolatum suum vt episcopum honorant, & depingunt, de quo dictum est ad septimum diem Februarij. Videtur autem sanctus martyr præter gladium etiam clauos perpassus. Scribit enim sanctus Andoënus, Eligium grandi labore atque instantia inuenisse in territorio Medenatenfi, vico Siclinio, sanctum presbyterum & martyrem Piatonem. Qui clauos longos ex corpore ablatos populis in argumentum monstrauit. Corpus denique, sicut martyrem decuit, accuratè composuit, atque mausoleum desuper eleganter fabricauit. Territorium autem Medenatense, si sic rectè legatur apud Andoënum, ab incolis dicitur domestica lingua *Meleuantois*, & vsitatus *Melantois*. Natalem Siclinienses & Tornacenses notarunt verbis Vsuardi. Quos nos infecuti sumus, nisi quod pro Dionysio substituerimus ex alterius ecclesie Martyrologio *Quintinum*, eo quod improbentur, qui Dionysium sub Diocletiano dicunt Parisios adijisse.

*Es. 2. vita
Eligij ca. 7.
Lib. 1. c. 32.*

a *Elenatio potius, quando S. Eligii corpus eius inuenit; vt infra ex B. Andoëno scribitur.*

b *Tornacenses notant quod tempore persecutionis Normannorum corpus S. Piatr fuit transportatum Carnutes: quibus extinctis, relatum fuisse, parte notabili corporis ibi relicta. At Sebastianus Roulliard in sua parhema siue hist. ecclesie Carnotensis c. 6. nu. 21. vult apud Carnutes esse integrum illius corpus.*

3. De

3^o De sancto *Wafsnulpho* episcopo.

Ex informatione quam Condati accepi anno septuagesimo quarto.

Eodem die natale beati *WASNULPHI* episcopi & confessoris.

Qui Gallicè dicitur *Wafnon*, & quiescit in Condato Hannoniæ oppido, ubi præter natalem celebratur translatio, quarto Iduum Ianuarij. In antiphonis nihil proprium habet, nisi fortassis quod ad sepulcrum eius ægri veniant, & sanentur. Lektionen sex primæ iuxta Ordinarium leguntur de Legenda communi, quæ incipit, *Ad sancti ac beatissimi*. Neque mirum est historiam eius intercidisse, cum constet sæuissimos Nordmannos in deuastatione Hannonum Condati hibernasse, per quorum barbariem complures historiæ perierunt. Annumerandus autem videtur titularibus episcopis, qui ad paganorum conuersionem huc tempore Vincentij Comitum venerunt. Testatur enim Vincentij historia, beatum *Wafsnulphum* sapius ex Condato ad eum in *Altum-montem* venisse. Propria ecclesia natalem supra-positis tantum verbis notat. Sed alia quædam Martyrologia nostratum ecclesiarum, addunt, *qui de Scotia insula marina veniens in saltum Therasciæ, in loco qui nunc vocatur Cella, multis diebus laudabilem vitam duxit. Postea vero ductu angelico ad monasterium Dei genitricis Mariæ, Condatum nomine, perueniens, ibi usque ad obitum, Domino seruiuit.* Huc pertinent etiam Chronici Cameracensis verba ad Gerardum primum. Apud villam, inquit, Condatum, quondam regalis fuit & diues abbatia puellarum, in honore

*Chronica
Hannonia
libro 4.*

*Libro 2. c.
42.
Puer à pu-
ritate.*

honore sanctæ Mariæ virginis: deinde præ inopia *Hinc puella pro uirgine usurpata*
 paucorum monasterium exstitit Canoniorum.
 Vbi sanctus Wasnolphus transcurso feliciter huius vitæ stadio, in pace quieuit, multis annis clarus miraculis. Scotus hic erat natione.

Die secunda Octobris.

1^o. *De sancto Leodegario, episcopo & martyre, cum fratre suo Gerino.*

Ex Vrsino, & Chronicis Atrebatensium.

IN territorio Atrebatensi, villa Siricinio, passio sancti LEODEGARII, Augustodunensis episcopi, quem varijs iniurijs & diuersis supplicijs affectum, Ebroinus maior domus regis interfecit.

Is enim magnæ impietatis homo, propter suam tyrannidem tonsa capite, reclusus est in Luxouio, Burgundiæ monasterio. Sed coorta seditione priorem gradum inuasit, & æstimans se memorati pontificis factione ab antiqua potestate deiectum, crudelissimis tormentis eum affecit. Post famem enim & carceris squalorem, post oculorum euulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ & labiorum excisionem, ne corona frueretur martyrij velut truncum tradidit Waningo. Waningus autem in suæ foundationis monasterio Fiscani, gloriosum confessorum multis diebus fouit: ubi excisa lingua suum recepit officium, & magnum doctrinæ semen sparsit in populo. Vnde Ebroinus dum sibi ignominiam, beatissimo autem Leodegario vidit gloriam augeri, tandem decollari eum fecit in loco Atrebatensis

territorij, qui dicitur sylua sancti Leodegarij. Sepultusque est in villa *Serein* anno sexcentesimo octuagesimo quinto. Cumque innocentiam & meritam sancti Leodegarij multa miracula declararent, pia fuit trium episcoporum de sacri martyris corpore contentio. Ansoaldus Pictaueus illud vendicare voluit monasterij & consanguinitatis priuilegio: Hermencharius Augustodunensis, prætulit iura episcopatus: sanctus Vindicianus, contestabatur sanctum martyrem, Deo volente, locum martyrij & sepulcri in sua diœcesi accepisse. Sed facta in communi oratione, Pictaueus episcopo sanctum corpus deberi ex indicijs declaratum est. Vnde ad sancti Maxentij monasterium est euectum. Postmodum tamen inde portionem aliquam corporis accepit Bronium Namurcense sancti Gerardi monasterium, die vndecimo Aprilis. Verba Martyrologij sunt. Et in Bronio monasterio aduentus sancti Leodegarij episcopi & martyris. Natalis est mense Octobri, die secunda.

In quem diem coincidit etiam fratris eius sancti Gerini natalis, qui per eundem Ebroinum grauiter afflictus est: & non multo post lapidibus obrutus. Quinam martyrij vtriusque historiam conscripserint, ad Vsuardum est annotatum.

2.º. *De sancto Beregiso abbate.*

Ex Martyrologio propriae ecclesiae, obseruatione Trudonensium & Andainensium.

ANdaino monasterio, natalis beati BEREGISI abbatis. Hic ex Condustro pago Australiorum oriundus, Hasbanij intra monasterium S. Trudonis literis est eruditus. Cumque postea sacer-

sacerdotij honore sublimatus in Comitatu Pipini
 iunioris, filij Ansegisi, charus esset omnibus & ac-
 ceptus, solitariam tamen vitam cogitabat atten-
 tius. Cuius pijs votis hoc modo diuinitati annue-
 re libuit. Contigit Plestrudem eiusdem principis
 coniugem, ob circumquaque posita sui iuris præ-
 dia, transitum habuisse per saltum Arduennem-
 sem. Cumque fessi viatores in amœno prato rese-
 disserent, mulier euigilans chartulam decidentem
 respicit. Sumit, marito defert. Sancto Beregiso
 legenda traditur, qui per ordinem pandit quæ in
 ea continebantur, scilicet locum illum, in quo
 inuenta est à Deo electum & aliquando à deuota
 plebe inhabitandum; multasque inde animas fi-
 delium dirigendas in calum. Mirati, cum diu
 multumque hæsitarent, cui hoc negotium com-
 mitterent, Beregus, vltro se offerens, locum su-
 scipit, stirpat, monasterium construit, & multos
 suo exemplo ad bene vitendum ibidem colligit.
 Tandem post Deo acceptos labores, sexto Nonas
 Octobris in pace quieuit, sepultus in eodem mo-
 nasterio à discipulis.

Hæc Martyrologium, quæ etiam plenius le-
 guntur, in historia manu-scripta Andaini, vbi
 quiescit loci fundator, & Sarchinij ad sanctum
 Trudonem, vbi pietatis & religionis fundamenta
 iecit. Vterque enim locus natalem celebrat. Cæ-
 terum Andaini nomenclatura, ab Andaina con-
 tiguò fonte deriuata, nunc extra vsum est. Post-
 quam enim sanctus Hubertus, eo allatus à Vul-
 cando, assiduis miraculis locum longè lateque ce-
 lebrèrem fecit, posteritas ab eo pagum & monaste-
 rium sancti Huberti nominauit. Quomodo ob
 merita S. Trudonis Sarchinienteses, extincto hoc

Octobris 3.

NATALIS

*A Iona in
S. Huberti
translacione*

Homine nunc sunt Trudonenses. Verisimile est autem ex primaeva institutione, utrobique fuisse clericos siue Canonicos regulam professos. De Vulcando enim scribitur, quod pro Canonicis ad sanctum Hubertum Benedictinos instituerit, cum illi à sua regula degenerassent. Et alibi legitur quod S. Beregisus abbas clericos suos & disciplinis instruxerit regularibus, atque in spiritualibus & temporalibus promouerit. Nam & donationem vinearum Treuiris à Grimberto Comite anno quinto Theodorici regis, cum multis alijs obtinuit.

Casa lib 6.

*Libro 5. de
gestis Fran-
coru ca 25.*

Porro monumenta vtriusque monasterij sanctum Beregisum testantur Spangij in Conduistro natum, quod videri posset vitiosum. Condrusi enim Cæsari sunt de gente ac numero Germanorum, inter Eburones ac Treuiros, nunc verò Leodijs annumerantur, eorumque primariæ vrbes sunt Cinacum, Dionantum, & Huyum. Verùm Condustrum legitur etiam in diuisione regni Lotharij, & nomina per ætatum successionem facile aliquam mutationem sortiuntur, vt hic nihil temerè sit mutandum.

Die tertia Octobris.

1^o. De sanctis Ewaldis martyribus.

Ex Vsuardo, Beda, Annone, Weinhero.

In Iuar.

A Pud antiquos Saxones sanctorum martyrum duorum Ewaldorum: qui cum essent presbyteri, & ibi prædicare Christum cepissent, comprehensi sunt à paganis, & occisi. Ad quorum corpora noctu multa lux apparens, & vbi essent, & cuius essent meriti, declarauit.

*In historia
S. Huberti.*

Dicti fuerunt niger & albus à capillorum diuersa specie, & recensentur inter duodecim illos Apostolicos viros, qui de natione Anglorum missi fuerunt in Frisiam primi prædicatores; quorum

rum

rum primarius fuit S. Willibrordus presbyter, postmodum Romæ consecratus Frisonum archiepiscopus. Quanquam Beda narrare videatur eos postquam multo tempore in Hibernia pro æterna patria exulauerant, secutos esse exempla duodecim primorum. Scribitur verò in Switberti historia, & alibi, quod Nabiana introëntes, Christum prædicando confessi sunt, quodque abinde ascendentes ad antiquam Saxoniam quinto Nonas Octobris glorioso martyrio sint coronati. Cùm enim Saxoniam intrassent antiquam, & ad gentis satrapam admitti peterent, barbari cognoscebant eos esse religionis Christianæ. Nam semper hymnis, psalmis, & orationibus vacabant, & quotidie sacramentum victimæ salutaris Deo offerebant, habentes secum vascula sacra & tabulam altaris vice dedicatam. Itaque ne ad nouam religionem transferrentur, antequam ad satrapam peruenirent, raptos interemerunt, album beatum Ewaldum veloci occisione gladij, nigellum autem, qui magis sacrarum literarum erat scientia instructus, longo suppliciorum cruciatu, & horrenda membrorum omnium discerptione: quos interemptos in Rhenum proiecerunt. Cùm autem martyrio celestia non deessent miracula, corpora ad se adducta Pipinus dux cum multa gloria Colonia condidit. Estque dies passionis vel inuentionis eorum, viuentis beato Willibrordo celebratus. Quæ omnia fusius scribit Beda Anglisaxo in gentis suæ *lib 5 cap.* historia. Quæ autem fuerit Nabia, & an ad Belgium nostrum pertinuerit, video à doctis ignorari. Sed antiquos Saxones plerique Westphalos intelligunt. Vnde Wernherus de *Laer*, Cai-

thusianus Coloniensis, scribit in Fasciculo temporum Ewaldi duo sancti presbyteri, prædicationis gratia de Anglia venerunt in Westphaliam: & in villa *Laer* suis precibus fontem de rupe traxerunt: & campum sanctum sic dictum vsque hodie, consecrarunt in vsus pauperum: vbi sæpè mira contigerunt contra testamentum sanctorum volentibus facere, & horribiliter plagati sunt. Et vocantur ibi vulgariter domini nostri de sancto campo, vel prato. Immo idem Wernherus in libro de laude Westphalorum, non dubitat parochiam *Laer* primiceriam Westphaliæ vocare, eo quod certa supersint argumenta, vnde constat sanctos Ewaldosibi Apostolatam suam Westphalicam inchoasse. De loco autem martyrij duas adfert sententias. Vna habet eos vltra *Weseram* coronatos esse, in Comitatu *Hoiensi*, qui est diocesis *Bremensis*. Altera, quam verisimiliorem dicit, tradit eos occubuisse prope *Tremoniam* in *Appeller-beke*, vbi solennis est eorum memoria & miracula facta narrantur. Capita habentur in *Monasteriensi* ecclesia, quorum aduentum celebrat quarto *Calendas Nouembris*. Corpora autem sanctus Anno *Coloniæ* decentius transtulit, vt pro nobis, inquit, misericordiam tanto studiosius expostulent in cælis.

Cap. 8. par. 3. Hunc Colonia e- didit sup- presso no- mine suo.

Parte 2. cap. 47.

Apud Su- rium hac die.

2^o. *De sancto Gerardo fundatore Bronij.*
Ex historia tempore eleuationis conscripta.

IN Bronio monasterio, natale & translatio S. GERARDI abbatis. Qui post militiam temporalem Christi tirocinio mancipatus, huius monasterij fundator extitit deuotus, iussione beatorum

rum Apostolorum Petri & Pauli. Hic postea au-
 thore Christo, fuit pater & abbas ter sex cœno-
 biorum. Primum Bronij instituit clericorum so-
 dalitatem, sed postea monasticum induit habi-
 tum apud Parisios ad sanctum Dionysium, vbi in-
 star quinquennis pueri prima elementa didicit,
 & paulatim presbyterij gradum attingit. Cùm au-
 tem iuxta reuelationem ipsi factam, pro Bronien-
 si ecclesia pignora sancti & thaumaturgi martyris
 Eugenij obtinuisset, statim Bronium repetijt, &
 inibi Clericorum instituto monasticum substituit.
 Postea Vrsidungus siue Cella, cùm irregulares
 clericos haberet, non quidem Canonicos, sed ma-
 tricularios, qui corpus S. Gisseni inopia compulsi
 & auaritia incitati, circumferebant, sanctus Ge-
 rardus per visum à Gisleberto Duce, eo est voca-
 tus, qui mox exclusis Clericis, monachorum so-
 dalitatem Deo dignam substituit, & abditas san-
 cti Gisseni reliquias Malbodij inuenire meruit.
 Per idem ferè tempus Arnulphum Flandriæ Mar-
 chionem, & prælatum Bertiniensem, ab acerbissi-
 mo calculi dolore miraculo liberauit. Vnde ille
 sancti viri probitate & religione cognita, om-
 nium Abbatiarum quæ eius ditione contineban-
 tur, procurationem ei commisit. Laborauit autem
 potissimum in monasterijs sancti Bertini, Bauo-
 nis, Petri in Blandinio; & beatæ Rictrudis. De-
 nique omnibus ritè compositis, ditioribus mo-
 nasterijs quæ gubernauerat derelictis, ad ami-
 cam Broniensis monasterij paupertatem se rece-
 pit. Vbi

*meritorum lumine clarus,
 Ad fontem viuum sitiens, plenusq; dierum,
 Deposito fragilis tandem velamine carnis,*

D d 4

Christi

Octobris 2.

NATALES

Christi lucifluam Iesu transmigrat in aulam.

Prænitet Octobris quando lux tertia mensis.

Annus depositionis marmoreo eius sepulcro
inscriptus est nongentesimus quinquagesimus
octauus: subleuationis in feretrum millesimus
centesimus trigessimus primus, sub Gontero abba-
te, cuius iussu edita sancti abbaris historia est con-
scripta.

Tomus 5.
sup. 4.

2. De hoc Meyerus anno 937. 940. & 959.

Octauo die Octobris.

1^o. De sancto Amore confessore Belisæ.

Ex Egeberto, & aliunde.

IN Belisæ monasterio, depositio S. AMORIS
diaconi & confessoris. Qui natione Aquita-
nus fines Brabantia, quæ nuper Lotharingia vo-
cata cognoscitur, sua sanctissima prædicatione
& conuersatione fœcundauit. Multo tempore
ad sepulcrum sancti Seruatij Domino seruiuit, &
tandem post laudabilem & miraculis claram vi-
tam, quieuit Belisæ: vbi extra muros in Canoni-
carum collegio, quod dicit *Munster Bilsen*, præci-
puo colitur honore, potissimum in natalitio die.
Pauca tantum de eo exstant, vt etiam ex Egeber-
to diacono constare potest, qui vitam eius cona-
tus est colligere. Ex quo superioribus addatur
vitarum sanctum eleuatum esse per visionem Hil-
dæ vxoris Odolfi. Sæpe enim deuotus fœmineus
sexus, vt primo meruit videre Christum resur-
gentem, ita Sanctorum eleuationibus primò est
cooperatus.

Egebertus
in manu. scri.
Leodij, Af-
fugenij, &
alibi.

Fuit & alius eius nominis sanctus, primus abbas Amar-
bachij, discipulus sancti Pirminij quem Alemannia cele-
brat. Est

brat. Est autem Belisia sub episcopo Leodiensi, oppidum Hasbania, quæ antiquitus fuit Comitatus in Brabantia, & nunc ex parte eidem subiaceret.

2^o. De sancto Badilone, abbate Luthosæ.

Pleraque ex responso domini Ioannis Fromontij Decani Luthosæ ecclesie.

Eodem die, festum sancti BADILONIS abbatis, de quo canitur Luthosæ,

Abbas huius ecclesie,

Vitam ducens iustitiæ,

Quondam fuit Badilo.

Notanda sunt etiam verba Chronographi Cameracensis ad Gerardum primum. *Est, inquit, monasterium Canoniorum in honore Apostolorum Petri & Pauli, in vico qui dicitur Luthosa, quod construxit B. Amandus: & est diues abbatia. Vbi vir Dei venerabilis Badilo requiescit.* Ex quibus verbis constat ibi diu monasticam aut Canonicam viguisse disciplinam, & beatum Amandum prima iecisse ecclesie fundamenta. Secundus autem loci fundator est Dominus Gerardus de *Roussillon*, Burgundia Comes, qui cum Carolo Martello claruit. Is prole destitutus varia fundauit & dotauit monasteria, inter quæ eminent Vizeliacum & Luthosa. Caterum cum Saraceni metropolim Aquensem contaminassent, dictus Gerardus, & Heudo abbas monachum suum Badilonem vitæ sanctimonia conspicuum Aquas miserunt, vt que-

Vincentius

Belsuacensis

lib. 23. ca-

pit. 152.

Sigebertus

anno 745.

Guisius lib.

11. c. 20.

reret sanctæ Magdalena reliquias, easque Vizeliacum adferret. Itaque sacras reliquias inter ruderia inuenit in mausoleo, cuius sculptura vitam sanctæ Magdalena artificiosè continebat, quin-

quennali tamen lustro ibi mansit in reparandis sacris locis assiduus laborator. Quo tem-

pore euoluto, post orationum & ieiuniorum præsidium, mausoleum piè violauit, & corpus sanctæ Magdalenæ integrum ac mirè fragrans Vizeliacum transtulit, eiusque brachij partem Lutosanis attulit. Natalem celebrant Lutosani die 8. octobris, & corpus à duobus Canonicis in processione defertur. Vigeliaci autem creditur esse brachium sancti Badilonis, quo multi à dæmone correpti confluent, & inde liberati redeunt.

Porro Lutosa duobus milliaribus distat ab Atho in dicecesi Cameracensi: estque in numero ciuitatum Hānoniæ, sed mœnibus caret, & per bella ac conflagrationem ferè in pagum est redacta. Præbendarum autem collatio spectat ad primum domus Angianæ, qui nunc est rex Nauarræ. Vizeliacum porrò apud Burgundos valdè est celebratum, quando inibi Ludouicus rex cum multis regni sui proceribus, beato Bernardo prædicante, Crucem contra Saracenos suscipiebat.

3^o. De S. Ragenfrede, abbatissa Dononij.

Ex officio Dononij, literis Gerardi Busai Canonici Xantensis, & Matthiæ Hostesij, Pastoris Calcarie.

A Pud Dononium, solennitas sanctæ RAGENFREDIS virginis. Hæc patrem habuit beatum Aldebertum, Comitem Austrouandix, & matrem sanctam Reginam, neptem regis Pipini. Fundarunt autem Regenfredi filix ex rebus sui iuris cellam seu monasterium Dononij ad Scaldim, in quo beata virgo præfuit; & dignitatē naturæ originis, morum honestate & sanctorum operū claritate nobilitauit. Est autem secunda die Septembris eleuata, cooperante, vt alibi scripsimus, beata Aua virgine. Habet & tertium festum relationis tertio Iduum Iunij. Cùm enim clerici quidam

Die 19. Aprilis.

quidam propter ecclesiam crebrescentibus bellis desolatam, feretrum virginis circumferrent, corpus sanctum centum & decem libris vendiderunt Comiti Noui castri super Ysam in Francia, & cum vacuo feretro domum redierunt. Quod demum multo post est perceptum, cum abbatissa per Nouum castrum Remos equitaret. Mane enim cum apud Comitissam Noui castri pernoctasset, psalterium ibi inuenit, ex quo Litanias legit, & nomen sanctæ Ragenfredis quod minio inscriptum erat, nimio dilectionis osculo venerabatur. Aduertit id Comitissa, quæ osculi causam petijt: respondit illa, se inuenisse nomen sanctæ Ragenfredis, cuius præsentia in suo monasterio multas miserationes sibi & alijs exhibet. Tunc Comitissa totam historiam rei actæ cœpit explicare: abbatissa autem auditis fortiter resistebat: sed Emmia monialis ætate maturior, quæ de repetendo corpore cogitabat, cubito silentium inuebat. Itaque domum redeuntes, feretri inspectione se tanto thesauro orbatas certius cognouerunt. Sed in doloris angustia solatium quæserunt, & opera potissimum duorum clericorum, thesaurum suum, maiora videlicet virginis ossa, recuperarunt. Postmodum Emmia ingeniose etiam minora ossa ex Nouo-castro obtinuit, eademque impetrauit ab Abbatissa nouum feretrum quod medium fuit inter Regiam matrem, & sanctam Auam. Natalem celebrat etiam Cameracensis diœcesis nouem lectionibus, etsi in Atrebatensi quiescat diœcesi, similiter Xantense Collegium in Clinia. Siquidem Dononiensis ecclesia in pago Honepelleni, cuius est patrona, multa bona habuit, & ædes monasterio similes.

Quæ

*Ex lectis-
nib. in dis-
relationis.*

Octobris 8.

NATALES

Capitulo Xantensi vendita sunt, yt patet ex copia litterarum quam subnecto: Vniuersis paginam hanc visuris Ensilia. Dononiensis ecclesie abbatissa, & eiusdem loci conuentus, Atrebatensis diocesis, salutem in Domino. Notum facimus vniuersis, quod nos bona nostra de Honepele, & de Husen, cum omnibus suis atinentijs, terris, agris, pascuis, pratis, hominibus, nemoribus, vineis, & cum omnibus suis iuribus, ecclesie Xantensi vendidimus. Quam pecuniam profitemur nos recepisse ad plenum, & ipsam pecuniam ad utilitatem ecclesie nostre totaliter esse conuersam. Et predictorum bonorum dominium, quod nostra habebat ecclesia, in dictam ecclesiam Xantensem ynanimi consensu transtulimus, & in veram ac corporalem possessionem misimus, & hoc est factum de licentia & consensu diocesani nostri, Vuarandiam legalem super premissis prestitura. In cuius rei testimonium presentes literas sigillorum nostrorum munimine, videlicet sigillo meo ego Ensilia abbatissa, & Conuentus sigillo Capituli, fecimus roborari. Actum anno millesimo ducentesimo quadragesimo. In circumferentia sigilli Conuentus, quod sericis filis appendet, expresse & perfecte legitur, sigillum sancte Ragenfredis virginis, Colligunt autem Cliuenses ex nonnullis monumentis ecclesias suas, Embrica, Resa, in Houepell, sub patrocinio beate Aldegundis, sancti Dentlini, sancte Ragenfredis, olim a religiosis Francis fuisse edificatas, vel dotatas, quibus summo studio fuit tunc temporis Christianismum vltra Rhenum ad Saxones ad paganismi sordes saepius relabentes, extendere & propagare.

4^o. De S. Valeria virg. in Hunulficurte.

Ex historia S. Vindiciani, & chronicis Cameracen.

IN Hune-cotirt, sanctæ VALERIÆ virginis: Quæ quiescit & præfuit in monasterio sancti Petri quod struxit sanctus Vindicianus episcopus in pago Cameracensi, ad Scaldim, in Hunonis curia, siue vt est in Martyrologio Atrebatensi, in Hunulfi curte. Vbi pest sanctimoniales fuisse Canonicos, sed paucos, eo quod locus militaribus viris in beneficium traderetur, testis est Chronographus Cameracensis. Postea correcto illo abusu, successerunt Benedictini religiosi, apud quos propter incendia & bellorum iniurias sola ferè memoria superest sanctarum Valeriæ & Pollenæ sororum. Natalis concurrit cum die sanctæ Ragenfredis. Habetque in vsu Cameracensi commemorationem per Collectam.

Lib. 2. ad
Gerardum
c. 20,

5^o. De sancta Pollena

Ex literis reuerendi Doctoris Eleutherij Pontani, præpositi Societatis Iesu Cameraci.

IBidem celebratur memoria sanctæ Pollenæ. De qua ex Cameraco sequentia accepi. Villa in qua olim quieuerunt sanctæ Pollenæ reliquiæ, vulgo vocatur *Huncoart*, Latinè Hunonis curia, in qua est monasterium sancti Petri, estque diocesis Cameracensis, distans à Cameraco quatuor leucis Gallicis, in finibus Franciæ. Religiosi sunt ordinis diui Benedicti. In eo asseruabatur olim corpus sancti Lieffardi, natione Angli, cum corporibus sororum eius Valeriæ & Pollenæ, quæ
cùm

cum in urbem sancti Quintini fuissent translata ob pericula bellorum, ut ibi essent securiora, perire in expugnatione urbis. Fit autem ibi quotidie memoria sancti Lieffardi, & sororum eius. Et quia libri omnes monasterij perierunt incendijs, ac bellorum iniurijs, ideo sola memoria superest.

Die nona Octobris.

1^o. De sancto Gisleno episcopo.

Ex Martyrologio, & historia, item relatu Reuerendi Pralati Matthai Moullaeris, nunc episcopi Arrabatun.

IN pago *Hainau*, in loco qui tunc a circumiacentibus pagensibus nominabatur *Vrsidungus*, nunc *Cella* vocatur, natale sancti **GISENI** episcopi, miræ sanctitatis viri. Qui Atheniensium episcopus fuit, & pro Christo ipsum apicem terreni honoris relinquens, pauper fieri voluit, Romanque veniens causa visendi principum Apostolorum limina Petri & Pauli, ibi voce diuina iussus est ut in Gallias properaret, ibidemque oratorium construeret sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac finem istius ærumnosi exilij præstolaretur. Item eodem die eleuatio corporis ipsius. Ex Roma itaque Angelica monitione commigrauit ad pagum *Hainon*, vbi haud procul a *Castri*-loco in *Vrsidungo* construxit oratorium, & monasterium, quod nuncupauit, *Cellam* Apostolorum. Hoc est, ut idem repetam vocibus nostri temporis, in Comitatu *Hannoniæ*, haud procul a *Montibus Hannoniæ* abbatiam exstruxit, quæ ab eo sancti *Gisleni* dicitur, quæ prima est

totius

totius Hannoniæ, sita in oppido quod ab eodem
 sancto nomen habet. Egregius fuit gentium do-
 ctor in fide & veritate, contemporaneus sancto-
 rum Aurberti, Landelini, Vincentij, & Walde-
 trudis. Multos introduxit in ouile Dominicum,
 quibus in tempore largis manibus tritici dedit
 mensuram. In pago Racemo, quem rusticè *Roisin*
 vocant, primum fecit intra Hannoniam miracu-
 lum, circo mulierem ob partus difficultatem pe-
 nè morientem. vnde maritus beato Gislino con-
 tulit quicquid ibi iuris habebat. Dagobertus verò
 rex dedit Hornutum, & Vrsi-dungum, cum om-
 nibus appendicibus. Vnde pleræque imagines &
 picturæ monasterij propter hanc dotationem, san-
 cto Gislino coniungunt regem Dagobertum.
 Propria ecclesia colit eum vt episcopum: multæ
 tamen alię vt simplicem confessorem, eo quod
 depósito onere episcopatus, maluerit in Cella A-
 postolorum esse abbas, & gentium doctor. Quo-
 modo S. Petrus Cælestinus coli potest vt papa;
 quia tamen pontificatui renunciauit, canoniza-
 tus tantum est pro simplici confessore. Natalem *Rom. Mar-*
 diem eum habet quem B. Dionysius Areopagita. *tyrulo. 19.*
 Translatio celebratur Dominico die quarto post *Marj.*
 Pascha, quam fecit Oilboldus archidiaconus,
 iussu Stephani episcopi Cameracensis. Festum re-
 stitutionis ex Malbodio est sexta die Nouembris,
 quod ij celebrare tenentur, qui tempore nundi-
 narum natalem eius non celebrarunt. Brachium
 deosculandum datur peregrinis, & circumfertur
 in die translationis; corpus autem in natali. Sunt
 autem de secundarijs festis verba propriæ eccle-
 siæ, Calendis Iunij, Ipso die translatio corporis
 sancti patris nostri Gislini, & sancti Sulpicij epi-
 scopi &

scopi & confessoris; & beatæ Leochadiæ virginis. Tertio Calendas Octobris, Ipso die inuentio corporis sancti Gislens, episcopi & confessoris. Octauo Idus Nouembris, Restitutio sancti patris nostri Gislens.

Porro quod attinet ad Racemenses dominos, mater in partu liberata per cingulum S. Gislens, quod erat ex corio asini, & tunc vulgari lingua *Bodri* dicebatur, in facti memoriam infantem miraculo genitum, *Bodri* nominauit. Et nomen istud, mascula prole nondum deficiente, in hanc usque horam in dicta familia, proprium nomen primogeniti remanet.

a. *Etiam hodie baltheus, id est cingulum militare Gallica lingua baudier dicitur: ob id, fortè quia ex asinino corio fieri solet. Asinus autem Gallis dicitur vn baudé.*

*2^o De sanctis Lamberto & Berlerio,
sancti Gislens discipulis.*

*Ex historia S. Gislens & informatione in eius
urbe accepta.*

SANCTI porro Berlerius & Lambertus presbyteri & confessores, discipuli, & cooperatores sancti Gislens, vt eos præceptoris suo subiungam, simul quiescunt in loculo portatili, in parochiali ecclesia oppidi sancti Gislens, vbi officium habent de communi confessorum; & festum apud ciues celebre, feria secunda post diem dedicationis ecclesiæ, quæ incidit in Dominicam *Cantate*, quartam post Pascha. Eadem autem Dominica monasterium celebrat translationem sancti Gislens. Dicuntur cum sancto Gislens ex Græcia venisse. Sed

Sed obijcietur fortassis nomina Græca non esse. Verùm cum Belerius etiam Valerius vocetur, illud nomen à Græcis alienum non est. Sed Lamberti nomen prorsus Belgicum est, quare verisimile est eum aut ex Græcia non venisse, aut in Belgio aliud nomen accepisse. Virgeri præterea posset ex Ioannis Maioris Scotorum historia, hos è Græcia non venisse, quia scribit Gissenum Scotum in Gallia miraculis & vitæ sanctitate claruisse. Fateor beatum Gissenum in multis vetustæ literæ libris Gissenum vocari, more Gallorum, qui sibilum S pronunciano elidunt. Sed Maior ibi loquitur de Chilleno Scoto, cuius natalis notabitur die decima tertia Nouembris.

Libro 2.
capite 7.

3^o. De sancta Olla virgine.

IN territorio Cameracensi, natalis festiuitas sanctæ Ollæ virginis. Quæ nata est, & vixit in vico qui Cameraco vicinus est in via Atrebatensi, quique etiam hodie ab ea nomen trahit.

Eodem die, habet Martyrologium ecclesiæ Cameracensis, festiuitas sancta OLLÆ virginis. Item Atrebatense, In territorio Cameracensi, natale sancta Olla virginis. Ex quo apparet sanctam esse Cameracensem. Habetque templum suo nomini nuncupatum, haud procul à Cameraco via Atrebatensi, quod etiam frequentatur à Cameracensibus. Sed adhuc me latet an corpus aut quiescat ibi, aut aliquando requieuerit.

4^o. De B. Gosuino abbate Aquis-cincti.

Ex historia per Alexandrum, successorem, & per aliquanto posteriorem descripta.

Aquis-cincti, obitus domini Gosuini, septimi eius loci abbatis. Qui parentibus relictis, vir summæ humilitatis Aquis-cincti monasticam vitam

Ec

vitam

Octobris 9.

N A T A L E S

Aluifus obijt Philippi in Macedonia.

vitam est professus. Vbi in matura ætate cantum cum pueris discere non erubuit. Cumque in sacrificio Missæ cæco visum restituisset, prohibuit se ob hoc miraculum laudari, quia Deus etiam per multa animalia miracula edit. Statim factus est primarius Prior, & Aluifus ad Sedem Atrebatensem assumpto, omnium suffragijs abbas successit. Tunc orationes, preces chori, silentium; mensæ, dormitorij, & vt paucis dicam, omnium communitatem summè amauit: regulares hospites in conuentu reficiebat, sæculares ab officinis conuentus longè remouebat. Euocatus à præfule Rhemenfi, vnico comite sacellano, iter perfecit, & nummus, quem vnicum habebat, pauperi datus, statim alterum in marsupio diuinitus lucrabatur, ita vt non defecerit ei nummus pauperibus largiendus, donec Rhemis esset. quod miraculum historiæ scriptor audiuit etiam ex ipso Gosuino. Interfuit Rhemenfi Concilio, in decrepita ætate, vocatus ob famam pietatis & doctrinæ ab Eugenio tertio, qui ei quotidie de suis ferculis mittebat. Denique Petrus Rhemorum præsul, audiens sanctum abbatem graui morbo affectum esse, statim nunciũ misit Aquif-cinctum, vt tanti patris benedictionem acciperet. Cui Alexander Gosuini successor beati viri emigrationem, rescripsit. Propter singularem autem sanctitatem, multis eius successoribus dictum est. *Accipe baculum abbatis Gosuini, vt cuius suscipis officium, imiteris exemplum.* Nunc tamen ignoratur vbi pedum illud sit.

a. *Institutus fuit abbas anno 1137. obijt 1166. 9. Octobris ex rescripto Prioris Francisci de Bar.*

Appendix de exsilio Odonis Camera- censis episcopi.

Ex rescripto Reuerendi Prioris Francisci Barri.

AD idem monasterium aliquando exsul diuertit S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus, qui ibidem in memoriam & gratitudinem sui hospitij vestes sacras reliquit viridis coloris.

Eadem

Eadem in ecclesia quiescit, albo marmore testus venerabilis Odo Cameracensis episcopus, antea primus abbas Tornaci ad sanctum Martinum. Qui ipsemet scribit in libro de blasphemia Spiritus sancti, quod Aquif-cinctus sit illi dulce refugium exsilijsui, dum potestate regia à Sede Cameracensi pulsus est, quia virgam & annulum quæ consecratus ab ecclesia acceperat, dono Imperatoris (qui erat Henricus quartus) iterato accipere renuit. Obijt decimo tertio Calendas Iulij. Et mox Amandus Prior literas scripsit meroris plenas de sanctitate defuncti patris, quarum exordium est: Aquicinctensis cœnobij humilis congregatio, omnibus qui salutis suæ solliciti sunt.

Die decima Octobris.

1^o. De sancto Venantio, martyre eremita.

Ex historia sancti, manu-scripta.

IN Artesia, sancti V E N A N T I I, martyris verè nobilis. Qui temporibus Pipini regis Francorum, cùm esset vir militaris, secedens ab armis ex regione Haynoënsium, venit in locum qui vastus saltus appellatur, qui est apud Ariacum castrum, & flumen Lisiam: vbi ieiunijs, precibus, & vigilijs vacans, in nemore est à quodam nequam, qui pecunias sperabat, decollatus, & in Lisiam proiectus. Beata autem Itisberga, filia Pipini, quæ apud Ariam validis febribus coquebatur, ex pisce, qui erat in trucidato sancti Venantij corpore, est restituta, & anus quædam, quæ sæpius sancto viro humanitatem exhibuerat, visum recepit. Unde corpus sanctum intra oratoriũ in sarcophago

lapideo est positum, & in hunc vsque diem honorificè quiescit, in oppidulo quod de eius nomine, sancti Venantij dicitur, & festum habet decimo die Octobris, solenne etiam in vicina Arienfi ecclesia.

a. *Recenti memoria nēpe anno 1608. die 13. Augusti, eius ossa reperta sunt sub altari S. Itisbergæ, in pago eiusdem nominis, qui distat vno miliario ab oppido S. Venantij.*

2^o. De sancto Nuncio confessore.

Ex rescripto domini Pauli Thonon, Supprioris Hasteriensis.

IN Basilica Hasteriensi beatæ genitricis Dei, depositio sancti NUNCII confessoris. Fuit, vt fertur, filius cuiusdam regis, sed vitæ æternæ desiderio porcos pavit, & in Hasteria depositionem accepit. At nunc Walciodori asseruatur ob clade tam à Francis anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, quàm ab Hugonistis anno sexagesimo octauo, acceptas: Reportandus Hasteriam, vbi facultas, Deo volente adnenerit. Natalis eius est sexto Nonarum Octobris, festum duodecim lectionum Walciodori, summum Hasteriæ in ecclesia & conuentu. Quo die quippiam operis fecisse in Hasteriensi banno piaculum esse solet, sua magnitudine inauditum. At nunc refrixit illa charitas, licet adhuc multum ab incolis & vicinis celebretur, sicut & nominis ipsius frequens in baptisinate impositio testatur. Quæ de vita & miraculis, atque id genus alia, addenda forent, ea vetustate temporum, & bellorum iniurijs interijisse putantur cum Hasteriæ essent sanctimoniales: pluraque perijsse est verisimile

mile ipsis Mettim migrantibus, & sua monimenta secum asportantibus. Sane Widericus Comes, in villa sua Halsteriensi elegit filia suæ Hameltrudi monasterium fundare anno sexcētesimo quinquagesimo sexto, eo quod eius loci ecclesiam consecrasset sanctus Maternus, beati Petri discipulus, eandemque sanctus Serenus episcopus, qui in ea requiescit, ut habet fundatoris testamentum, pretiosis reliquijs ditasset, potissimum Christi Saluatoris, & Deiparæ Virginis, & de collo protomartyris Stephani, quas secum ab Hierosolymis detulit, dum ibi protomartyris corpus Luciano reuelaretur. Propter has reliquias, & quia vxor sua neptis esset Arnulphi Mettensis episcopi, Widericus, confracto Halsteriensi castello, villam dictam, Mettensi sancti Stephani ecclesię legaliter tradidit, quæ tunc in Sigeberti regno præ omnibus habebatur insignis: & pro clericis sanctimoniales statuit. Eæ autem ibi permanserunt vsque ad foundationem Walciodorensis monasterij, annis ferè trecentis.

Tunc enim Eilbertus Comes, primusque abbas sanctus Forannanus, cum Walciodorum per se subsistere non posset, propter arctam penuriam in pascuis, siluis, aquis, molendinis, impetrarunt à Theodorico episcopo Mettensi, ut vii-gines Mettim migrarent, ipsi autem Halsteriæ secundum conuentum congregarent. Vnde ad hunc vsque diem, vtrumque monasterium sub vnius abbatis moderatione permanet. Locumque digniorem retinet Walciodorum, etsi Halsteria aliquando reluctari voluerit, propter sui loci antiquitatem, & reliquias. Quo euēnit ut decretum fuerit omnium vtriusque loci professionem solennem

lennem Walciodori esse excipiendam, eosque ad nutum prælati alterutro loco habitare debere. Fuerunt autem Metensis diœcesis, sed permutatione ad Leodienses transierunt, & nupera multiplicatione ad Namurcenses. Cæterum Hastenrienses in querimonia sua, quam curiæ Metensi exhibuerunt, præter sanctum Serenum, dicunt apud se quiescere sanctam ac nobilem virginem Ramisuendam. Sed neuter apud eos natalem habet. Visuntur autem peruetusta sepulcra in medio ecclesiæ, quæ ex traditione maiorum, & propria coniectura, horum esse asserunt.

Vndecima Octobris.

1^o. De sancto Gummaro, patrono Liræ.

Ex historia vite & translationis, & informatione Lirensium.

Liræ, depositio sancti GUMMARI præclari confessoris: qui inter cætera virtutum suarum insignia, ictu baculi sui fontem de terra produxit: arborem quoque succisam & terræ prostratam, diuino auxilio erexit, ac ita in integrum solidauit, vt nullum signum læsionis in ea apparet: quæ in testimonium tantæ virtutis per annos plurimos incolumis remansit.

Hic confessor gloriosa stirpe exortus est in Renensi prouincia, quæ Brabantia territorio comprehensa, nunc Riensis dicitur, vulgari sermone ac vernaculo, *het landt van Rijen*. In ea natale solum habuit *Emblehem*, qui locus horæ spatio tantum à Lira oppido distat. Erat lenis in sermone, constans in bono opere, humilitate submissus, pietate

pietate profusus, ieiunijs, & vigilijs castigans carnem, eleemosynarum largitor, in aula Pipini regis magnificè acceptus. Habuit Grimuariam uxorem sibi molestissimam, quam patientia & prudentia vincere laborauit. Cùm ad limina Apostolorum tenderet, diuina admonitione intra Netæ ambitum iubetur oratorium construere, vbi vitam in multa sanctitate finiuit. In messe siti deficientibus, baculo terram fodit, & erupit fons largissimæ aquæ, qui adhuc visitur in Emblem. Alijsque multis miraculis claruit in vita, & post mortem. Eius secundarium festum de translatione concurrebat cum natali sanctæ Gertrudis. Quiescit Liræ, quæ est oppidum Brabantia, diœcesis Antuerpiensis, vbi collegiatam habet ecclesiam, quæ in historia monasterium nominatur. Ad hoc monasterium venerunt Nordmanni, euersa Malina siue Machlinia, ignemque iniecerunt, sed sanctus Gummarus è cælis suis meritis contra eos pugnans, ignem exstinxit. Interim Fredegerum presbyterum à palma martyrij arcere noluit, quem Nordmanni crudeliter in altari peremerunt, summæ maiestati sacrificium mactantem.

Est autem Liræ nomenclatura recentior, & ab historia scriptore non vilitata, qui locum hunc antiquitus dicit *Nues-donck* dictum, postmodum à vulgo Ledonem appellatum: ipse villam sancti Gumhari nominat, eamque describit sitam esse intra Netæ ambitum, & per hunc fluium à Taxandria & à Renensi prouincia sequestrari.

Est etiam confessor Dei sanctus Gummarus patronus Enchusianorum in Hollandia, qui quotannis solent multo numero Liram ad memoriam & natalem patroni sui conuenire, eiusque feretrum in supplicatione, quasi iure suo circumferre.

E e 4

Habuit

*Theofridus
abbas Ep-
ternacensis
scribit Ro-
thingi vi-
rum propo-
terem Vial-
librado ad-
huc videnti
dedisse eccle-
siam in An-
tue. po ca-
stello sitam
super scal-
dam in pago
Renensi.
cum villis,
appendicijs
& parte 3.
telones etuf-
dem castel-
li, quod nunc
est marca
regni.*

*Ledi dici-
tur, de ge-
sic Franco-
rum lib. 5.
cap. 25.*

Octobris 11.

N A T A L E S

Ex lib. 3.
Ordinis Ci-
stertiensis,
capite 27.

Habuit præterea diui Bernardi sæculum iudicem & dominum Sardinia, qui huius sancti & nomen gerebat, & pietatem sectabatur. Nam quadragenarius regnum filio reliquit, & ipse in Clara valle monasticam & sanctam vitam est amplexus.

2^o. De translatione sancti Quirini
Malmundarium.

Ex historijs martyrij & translationis, Malmundarij
manu-scriptis.

Lib. 2. de
re Gallica
perioche 4.

Sanctus Quirinus presbyter & martyr ex Roma in Gallias venit cū beato Dionysio Areopagita: cumque sanctus Dionysius collegas suos per Gallias dispergeret, Nicasius episcopus, sanctus Quirinus presbyter, & Scuuiculus siue Scubilio diaconus, commigrarent ad Rothomagensem metropolim. Traiecta autem Isara venerunt in Vulcastinum agrum, vbi in prædio siue oppido quod Vallis dicitur, S. Quirinus cum stola beati Nicasij præmisso Crucis signo, pestilentem draconem domuit, qui & fontem & aërem vitia-
bat. Sanctus Nicasius autem ad se adductum draconem repetito signo Crucis dirupit, & ad eundem fontem circiter trecentos octodecim in Christi militiam ablutos asseripit. Inde pergentes Monticas demonem in spelunca latitantem adiuratum exploserunt. Post varia autem doctrinae & miraculorum opera Sisinnius publice caesus, iussit capita amputari. Quod factum scribit Robertus Canalis apud Gagneium oppidum. Memorantur autem martyres capita sua tulisse per vadum Ittae, quod in-

quod inde ad memoriam facti, vadum S. Nicasij nominatur. Et Pientia matrona cum Claro presbytero martyres honorificè sepeliuit, & suo prædio ac facultate dotauit.

Cæterum anno octingentesimo octauo cum corpora sanctorum Nicasij, Quirini, & Scuuiculi, metu translata, mediocribus locis tenerentur in vico Condatensium, qui Parisiorum vrbi adiacet, Odulphus Præpositus Malmundariensis, & Hildebaldus episcopus Coloniensis obtinuerunt à Carolo magno & à Parisiorum Præsule, corpus S. Quirini, brachium dexterum beati Nicasij, & reliquias Scuuiculi. Claruit autem martyr in ipsa itinératione, & postea Malmundarij frequenti virtutum operatione De quibus nonnulla exstant ibidem manu-scripta.

3^o De beato Brunone episcopo Agrippinæ Coloniae, reformatore Hannonia.

Ex Rogerio, chronicis Hannonia, Sigeberto, & aliunde.

Coloniae in monasterio sanctorum Pantaleonis, Cosmæ & Damiani medicorum Dei depositio beati Brunonis Agrippinæ ecclesiæ archiepiscopi. Qui inter cætera laudabilis vitæ insignia, quæ liber gestorum eius plenius enumerat, etiam locum istum à fundamentis erexit, & rebus quæ ibi Deo seruiantibus sufficerent, abundanter locupletauit. Fuit frater Othonis Imperatoris, puer liberalium literarum studijs imbuedus missus est Traiectum, ad Baldricum venerabilem episcopum. Lotharici regni populum, ca. 4. § 39.

E e s dum

Libro 14.

c. 27. 28. &

29.

Sigebertus

anno 958.

c. 959.

In Henrico
primo.

dum episcopus esset, sic cum fratre gubernauit, ut eum ex inculto & fero, pacatum reddiderit & mansuetum. Explicatius autem istud per capita aliquot exprimitur de Hannonibus in eorum vernaculis Chronicis. Erat tunc miseranda facies monasteriorum, ecclesiarum, & cleri. Nobiles ecclesiastica bona inuaserant, & graui iugo subditos premebant. Nordmanni enim omnia vastauerant; sed ex his archiepiscopus & archidux beatus Bruno multos cum principibus suis baptizari fecit. Raginerius Comes Montensis cognomine Longicollus, regnum inquietabat, sed hunc Valentianis cepit, & irreuocabili exilio damnauit, bonis ad Fiscum publicatis. Quibus sedatis, nobilitatem & clerum Hannoniæ in decentissimum ordinem redegit, & collapsa loca, tam sacra quàm prophana restaurauit. In quibusdam tamen locis nimitum vastatis pro monachis & sanctimonialibus canonicos substituit, ut Montibus, Sonegijs, Condati. Horum enim tunc magna erat, in ecclesia dignitas propter regularem disciplinam, & studium iuuandi plebem. Ita, inquit, Abbas Urspergensis, cum magna religione vsus est officio sacerdotis; & exigente necessitate, iussu regis, functus est virtute magnanimi ducis. Nemo autem super hac re culpabilem eum dicat, cum Samuelem sanctum, & alios plures sacerdotes pariter legamus & iudices.

Quod verò ad Traiectenses attinet, legitur in eorum historijs Brun archiepiscopum & ducem, fratres impedito Hungarico & alijs exteris bellis, inferiores Germaniæ prouincias gnauiter administrasse. Deceuerat autem pater eum ante Radbodum in Traiectensis vrbis sede surrogare, sed in-

sed intellecta desolatione per Danos facta, tradidit eum militiæ. Quem postea Otho Imperator, eius frater, instinctu Baldrici direxit cum non spernenda manu ad restituendam urbem, & liberandum circumvicinas prouincias, antiquatis hostibus, quorum fortuna iam vndique nutabat: qui etiam victoriosè bellum hoc exequitur, constituens ipsum Baldricum in sedem quietam. Meminit huius inter exteros scriptores Luitprandus, Brunonem, inquit pater sanctus, quoniam Nordmanni Traiectensem destruxerunt ecclesiam, ob eiusdem recuperationem voluit militare. *Lib. I. cap. 7.*

Otho autem Imperator interuenientibus dilectissimo suo germano Brunone, & venerabili præceptore suo Baldrico episcopo, multis eam regalibus priuilegijs & donationibus decorauit.

Cæterum reliquum sanctissimæ historiæ à Rogerio eius contemporaneo descriptæ, aliunde requiratur, nos enim hic tantum Belgica commemoramus. Ad quæ istud etiam spectat, quod Tornacensis ecclesia hunc præfulem in sanctorum numerum inscripserit. Id enim testatur proprium illius diœcesis Breuiarium, quod sancti viri historiam nouem lectionibus complectitur, decimo sexto Calendas Augusti. Coloniensis verò ecclesia, canonum hac in parte obseruantior, quia ab Apostolica Sede non est Sanctis ascriptus, natalem eius seu diem depositionis propriè non celebrat, sed annuè omnia Canonorum Coloniensium collegia, ad sanctum Pantaleonem conueniunt, & ad beati viri honorem celebrant sacrificium de æterna Sapientia. Quia tamen memoriam eius alibi coli sciunt, hinc non

Octobris 12.

NATALES

non tantum libro obituum, sed & Martyrologio, verbis supra à nobis notatis, apud eos est inscriptus.

a. Agit de eo Arnoldus Wion in ligno vite in adiunctis pag. 907. factus est Episcopus Coloniensis anno 953. ut constat ex Sigeb. & Flodoardi Chronico.

Duodecima die Octobris.

1^o. De S. Wilfrido, episcopo Eboracensi.

Ex Beda, historia sanctorum Wilfridi & Osualdi.

IN Anglia, natalis sancti WILFRIDI episcopi & confessoris. Fuit episcopus Eboracensis & totius prouinciæ Nord-Humbrorum, estque Natalibus Belgij inferendus, quòd de eo sic scribat Beda, libro quinto historiæ Anglorum: Wilfridus pulsus episcopatu, Romamq; iturus, & coram Apostolico Papa causam dicturus, ubi nauem conscendit, stante Fauonio pulsus est Frisiam: & honorificè susceptus à Barbaris, ac rege illorum Aldgisto, predicabat eis Christum, & multa eorum millia verbo veritatis instruens, à peccatorum suorum sordibus, fonte Saluatoris abluit. Et quod postmodum Willibrordus, reuerendissimus Christi pontifex, in magna deuotione compleuit, ipse primus ibi opus Euangelicum cœpit, hiemem cum noua Dei plebe feliciter exigens. Additur in sancti Wilfridi historia in illa Frisonum conuersione terræ salinitatem in dulcedinem: sterilitatem in fertilitatem, commutatam esse Diem clausit extremum anno septingentesimo nono, sepultus in Riponasterio, quod magnus Wilfridus, ei consanguinitate iunctus fundarat. Loco autem à barbaris magna ex

Capite 5.

In legenda Anglia.

Ibidem in vita Osualdi, & sur. 15. Octobr.

gna ex parte diruto, sanctum Wilfridum nostrum. Osualdus episcopus Wigorniam detulit, & in decenter aptato feretro condidit. Corpus autem maioris Wilfridi, antea sanctus Odo Cantuariam transtulerat. Natalis eius duplex est in Eboracensi ecclesia, similiter translatio vigesimo quarto Aprilis.

2^o. *De sancta Harlinde abbatissa Eikensi.*

Ex officio Maeseikensis ecclesie, & literis ex Maeseika acceptis.

Monasterio *Eike*, natalis sanctæ H A R L I N D I S virginis. Hæc autem & soror eius Relindis siue * Renula, parentum Adalardi & Grimatæ solitudine, Abbatissæ monasterij quod Valencina vulgo dicebatur, sunt ad erudiendum commendatæ. Cumque sic profecissent vt opportunum esset eas alijs præfici, parentes in propria hæreditate ad Mosam, *Eike* monasterium construxerunt. Vbi vtraque innumerales filias Christo genuit. Erant enim fide recta instructæ, charitate repletæ, fraternitatis amantes, humilitate decoræ, religione laudabiles, largitate eleëmofynarum hilares. Quarum etiam curam habuerunt sancti episcopi, Willibrordus & Bonifacius. Memorantur autem, beato Willibrordo cum alijs aduentante, exiguum vini in vase quod tinna vocatur habuisse, sed nutu diuino plenitudinem vasis obtinuisse. Cæterum cum otiositatem vt mortiferam pestem fugiebant, aliquando palliola contexebant, aliquando diuinas Scripturas, honorifico opere, conscribebant. Ex quibus nonnullæ perinde, ac si recentes essent, hactenus conseruantur. Natalis beatæ Harlindis est duo-

alias Rai-
nula.

Octobris 13.

N A T A L E S

est duodecimo Octobris: Relindis, sexto Februa-
rij. Cumque putresceret prima monasterij eccle-
sia, quæ lignea fuit, Aua abbatissa lapideam con-
struxit, in qua Franco episcopus utramque virgi-
nem honorificè leuauit, die vigesima secunda
Martij, anno nongentesimo sexto. Et eodem die
nuperrimè anno septuagesimo primo facta est
per coëpiscopum Leodiensem, altera solennis
translatio. Tunc enim collegium Canonicorum
Eikensium, qui sanctimonialibus successerunt,
migravit in oppidum *Maes eike*. Vterque locus est
in Comitatu Loffensi, sub episcopatu Leodiensi.
Valencina autem monasterium, in Teutonica hi-
storia *Valenciaen* dicitur, quod quidam putant fu-
isse in oppido Valentianis, siue Valencenis.

Die decima tertia Octobris.

De sancto Gerardo, abbate Siluæ maioris.

*Ex Martyrologijs Rubæ-vallis, & Lisiardo in vita
Arnulphi, capite decimo octauo.*

IN Aquitania, natalis sancti GERARDI,
abbatis & confessoris, viri miræ sanctitatis.
De quo cantat ecclesia;

Belgica quem genuit, nobis Aquitania seruat,
In Domini seruo, seruiat vt Domino.

Illa diu felix, felicior ista magistri

Doctrina, signis, corpore, sede prece:

Carnem supplicijs, hostem virtute subegit,

Mundum contemptu, cætera monstra fide.

Item,

Totus cælestis, totus directus in altum,

De saltu siluæ, fecit super æthera saltum.

Fuit,

Fuit, vt Lisiardus scribit, discipulus sancti Arnulphi Flandri, episcopi Sueffionum, cum ille monasterio sancti Medardi apud Sueffiones abbas præffet. Cùm autem Philippus Rex Francorum ab Odone malo monacho, & consiliarijs suis deprauatus, sanctum abbatem, secum in militiam proficisci iuberet, maluit ille abbatis loco & nomine perpetuo carere, quàm sub huius dignitatis prætextu, iterum sæculo deseruire. Vnde conuocatis sanioris consilij fratribus, elegit sibi successorem non minus diuinum sanctum Geraldum, scientia Scripturarum egregiè instructum, & omni honestate conspicuum. Sed mox contra institutum abbatem insurrexit Pontius, monastici Ordinis temerator, ducens secum reginam Bertradam, quæ regia potestate beatum virum expelleret. Cui Arnulphus: Crede ô regina fratri Arnulpho, imo Spiritui sancto. Nam si tu hinc fratrem Geraldum eieceris, Deo vindice à regno extruderis, & ærumnosa morieris. Quam prophetiam luce clarius est impletam esse. Sanctus Geraldus autem ab ea pulsus dedit locum iræ, abijtque in Aquitaniam, vbi à duce humaniter acceptus, in silua maiori illustre cœnobium construxit, in quo ad finem vitæ Deo seruiuit. Eiusque vita & mors virtutum signis effulsit.

Haftenus ex Lisiardo episcopo. Quæ huc adferenda iudicauit, quia Arnulphi Flandri discipulus fuit, & fortassis in nostro Belgio natus. Multi enim è Brabantia & Flandria, ad diui Medardi monasterium aduolarunt, beati Arnulphi amore eos attrahente. Quibus an sit annumerandus fortassis ex gestis eius, quæ nondum vidi, colligi poterit.

*Lisiardus
capite 7.*

Deci-

Decima quarta Octobris.

1^o. De translatione Beati Calixti Papæ.

Ex informatione Cisoniensis Prælati, & examinatione gestorum.

Romæ via Aurelia, natalis beati Calixti Papæ & martyris. Cuius reliquiæ ad abbatialem Canonicorum ecclesiam beati Calixti, Cisonium sunt allatæ, per sanctum Euerardum loci fundatorem, anno octingentesimo quinquagesimo quarto: ybi diuersis miraculis claruerunt. Quod latius in historia beati Euerardi dicetur, die decima sexta Decembris. Sed fatentur Cisonienses has reliquias ab eis Rhemos ad sanctam Mariam translatas esse. Quod paulo post factum est. Nam ex Chronicis Cameracensium cognoscitur, Normannis læuientibus Fulconem archiepiscopum Rhemensem voluisse vt celestis thesaurus corporis beati Calixti papæ & martyris sibi commendatus honorificè leuaretur, & Rhemos deduceretur. Vbi tam diu seruaretur, quousque pace reddita loco proprio restitui posset. Quod tamen nondum factum est, potentioribus forte præualentibus.

*Lib. 1. cap.
de Rothar.
do. c. 61.*

Gesta eius parè refert Romanum Breniarium, cuius causæ in annotationibus ad Vsuardum indicantur. Velim tamen aliunde à Lectore animaduerti, beatum Calixtum cooperante Calepodio presbytero, multos conuertisse, consignasse, & ad martyrium animasse. Id enim in veterum Martyrologijs legitur sexto Iduum Maij, de Palmatio Consulari, eius vxore, filijs, & alijs promiscui

miscui sexus quadraginta duobus : rursus de Simplicio senatore cum vxore, filijs & familiaribus sexaginta octo : item de Felice cum vxore Blanda.

a. Vide Baron. Tomo 2. *Annal.* anno Christi 226.
§. 2. & 3.

2^o. De S. Donatiano, episcopo Rhemoru.

Ex monumentis quæ dominus Iacobus Pamelius, Brugensis Canonicus, ad Surium, & me, humanissimè transmisit.

BRugis, natalis sancti Donatiani, Rhemorum Archiepiscopi. Qui septimus in ordine numeratur, estque translatus ad secundam Flandriæ ciuitatem, quæ à pontium multitudine Brugarum nomen habet. Alicubi etiam nominatur castrum S. Donatiani. Translationis autem hæc fuit occasio. Cùm Nordmanni & Dani tertio Flandriam ferro & igni vastassent, Balduinus Ferreus forestarius Flandriæ, Iuditham Caroli (alui filiam rapuerat, & vxorem duxerat. Sed pace composita per Nicolaum primum, & Ebonem Rheirensem episcopum, dotis nomine accipit totam regionem Scalde, Somona, & Oceano terminatam : dictusque est Comes regni Francorum, & Marchio Flandriæ, eo potissimum nomine, vt aduersus omnem Aquilonis barbariem, perpetuus foret regni Francorum propugnator. Ebo quoque pacis Flandriæ confirmandæ causa, & vt ferocis gentis animi, cultu religionis mitescerent, sancti Donatiani corpus Balduino Comiti in Flandriam misit, additis huiuscemodi literis. Ego Ebo indignus Rhemorum archiepiscopus, hunc the-

In miraculis & Donatiani, & inde apud curiam.

Octobris 14.

NATALES

aurum super gemmas & aurum preciosum, tibi, gloriose Marchio Balduine, nostrorum consilio clericorum, transmittito. Donatianum scilicet, septimum nostræ sedis episcopum miræ sanctitatis virum, pium ex auditorem, & promptissimum apud Deum intercessorem, tam secularibus angustijs occupatis, quam peccatorum sceleribus detentis. Quod nostris & antecessorum nostrorum temporibus satis euidenter comprobatum est. Eius, sancti q̄ Remigij, ac innumerabilium sanctorum vita scripta, Wandalorum vastatione scias esse deleta. Hunc attestatione diuinæ tuæ fidei committo, quatenus eum diuino seruitio, in quantum vales, honorifices, & secularibus dices. Vale dilectissime in Domino.

Translatæ sunt autem sacræ reliquiæ, primò ad Turholtum monasterium: deinde iussu Balduini cum magna celebritate ad portum Brugas. Translationes recoluntur, prima, trigesimo die Augusti: secunda, in die Epiphaniæ Domini. In tertia autem, quam nuperrimè fecit Petrus Curtius, primus Brugarum antistes, Ebonis citatas literas in loculo inclusas, multi Canonici inspexerunt, & attrectarunt.

An. 1566.

3^o. Appendix de sancto Ilhero.

Ex admonitione D. Matthiæ Laurentiani, Pœnitentiarij Brugensis

14. Octob.
pag. 761.
Surj.

QViescit etiam Brugis ad sanctum Donatianum sanctus Ilherus. Quod primùm animaduerti ex historia miraculorum S. Donatiani. Sed videtur sanctus aduectitius. A Brugensibus enim Canonicis plura petens, hoc tantùm accipi, reliquias ipsius cum reliquijs diui Maximi episcopi, in vna capsula contineri, in cuius superiori

riori parte exsculpti sunt duo episcopi, cum subscriptis nominibus, S. Maximus, S. Ilherus. Natalem diem ignorant.

4^o. De sancta Angadrisina virgine.

Ex Angrado & Breviario Bellouacensi.

IN territorio Bellouacensi, S. ANGADRI-
 S I N Æ virginis. Cuius pater Rotbertus, ori- *Ex Angrado, 9. Feb.*
 gine Teruänensis, auunculus S. Lamberti episcopi Lugdunensis, gerulus erat annuli regis Clotarij. Cumque filiam eius illustris Siuainus suo filio Ansberto vellet sociari, communi consensu despondetur puella. Deprecabatur tamen cum sponso suo omnipotentem Deum, vt voluptatum venena ab vtriusque corde repelleret. Ipsa præterea orando obtinuit vt speciositas sua in deformitatem verteretur. Quod cum parentes diuinitus fieri agnoscerent, nec Deo contraire vellent, ex eorum assensu Ansbertus dissociabilem edidit libellum, vt sancta virgo Agadrisina, non sua, sed Domini vocaretur sponsa. Quo facto, Rothomagi à sancto Audoëno sacro velamine est operata, & in virginitatis proposito Deo consecrata. In quo & permansit gubernatrix cœnobij prope muros vrbs Bellouaci. Ansbertus autem, sanctus sponso, obiit episcopus Rothomagensis, propter iustitiam exsul in Hannonia.

Vide 9. Februar.

Ff 2

Decima

Decima sexta Octobris.

1^o. *De S. Mommoleno, episc. Tornacensi.**Ex lectionibus ecclesiarum Audomarensis, & Nouiomensis.*

Ciuitate Nouiomo, sancti MOMMOLENI episcopi & confessoris. Tempore siquidem regis Clotharij tres viri religiosi, Mommolenus, Bertinus, atque Bertramus, Constantia Germaniæ ciuitate orti, atque in Luxouienti cœnobio in pietate diuinisq̃ue mysterijs instructi, exeuntes in Galliam, Mommolenum sibi patrem elegerunt, ac Deo summo patrifamilias in Euangelij prædicatione plurimum fecerunt fructum. Hic enim sanctissimus Mommolenus confluentem ad se populum, æternæ vitæ pabulo reficiebat. Inter quos etiam palatini proceres, intermisso ad tempus regali ministerio, veniebant, sanctorum Dei modestiam in exemplum vitæ sumentes. Multis Scripturarum testimonijs corda populi excoluit, multumq̃ue mentes ad meliorem vitam excitauit, quia qualis erat in verbo, talem se exhibebat in opere. Vnde miro affectu amabatur à populo, humili subiectione honorabatur à clero, & ad Clotharij aulam vocatus, ibidem quo-ad licuit, fructum Domino faciebat. Tandem relicta aula, ipse & socij adierunt Audomarum, sanctum episcopum Teruāentem, cooperatores illi in cultura Dominicæ vineæ futuri. Cùm ergo monachorum habitacula ædificassent, cresceretq̃ue numerus præ feruore religionis, episcopus beatum Mommolenum illis abbatem constituit. In quo statu dura castigatione carnem suam

suam coërcuit, stipendium prædicationis pauperibus dabat: vlcerosa membra balneis fouebat. Interea vir Dei Eligius Nouiomensis episcopus migravit ad Dominum; in cuius locum Momolenus, non sine obedientiæ impositione est abstractus. Rexit autem eam ecclesiam & coniunctam Tornacensem, annis viginti sex. Adueniente autem vocationis suæ, diu desideratæ, tempore, sepulturam elegit in communi cœmeterio, extra vrbs mœnia, & suscepta nostræ reuerentiæ Eucharistia, inter ipsas gratiarum actiones vltimum vale populo dicens, spiritum exhalauit. Multas autem virtutes per eundem Dei famulū, iam sepulturæ traditum, operatus est Dominus in doctrinæ ac vitæ eius confirmationem.

2^o. *De sancto Iuniano confessore.*

Ex historia manu-scripta, & Gregorio Turonensi.

IN territorio Lemouicensi, S. IUNIANI confessoris. Qui natione, vt fertur, Cameraensis, propter cælestem patriam, terrestrem reliquit, & in Aquitania S. Amantij solitarij viri tirocinio se mancipauit, in cuius cella multis polens virtutibus, quadraginta annis solitariè vixit. Ac tandem post labores vigiliarum, ieiuniorum, & certaminum contra diabolum, obdormiuit in Domino. De eo sic scribit Gregorius Turonensis. Fuit & Iunianus reclusus, intra Lemouicicæ vrbs territorium, qui viuens multa populis ostendit miracula; sed & nunc ad sepulcrum eius sæpe morbi curantur. Nam vidi multos, quos dinumerare putavi longum, qui cæcis oculis eo perduci lumen receperunt: paralyticique dire-

*De gloria
confessoris
c. 1. 103.*

cti sunt. Testisque est ipse populus hodie, qui cum sanitatem recipiunt, statim se tributarios loco illi faciunt. At recurrente circulo anni, pro reditæ sanitatis gratia, tributa dissoluunt. Hactenus Gregorius.

A quibus beneficijs, locus antea incelebris, excrevit in oppidum sancti Iuniani, cuius Belloforestus meminit in Cosmographia.

Videntur & alij esse eiusdem nominis sancti. Legitur enim apud Rhemenses in Martyrologio die decimo quinto Nouembris: Eodem die beati Iuliani confessoris, quem beatus Remigius baptismate lauit. Item Pictaueses habent in Breuiario, Idibus Augusti Iunianum abbatem, qui eadem hora migravit, qua regina Radegundis, cui tanta familiaritate adhæsit, ut ab ea sola tegumenta sua sint confecta. Inter quæ cilicium, quod, inquit, usque hodie apud nos illæsum perseverat.

3^o. De S. Berchario, abbate & martyre.

Ex Martyrologijs, & Vincentio.

IN Derno monasterio, natalis S. BERCHARII abbatis & martyris. Hic legitur in nonnullis antiquis ecclesiarum Martyrologijs, discipulus S. Remacii episcopi. Sed nondum animaduertere potui, ubi, aut quam diu nostri beati Remacii discipulus fuerit. Præfecit autem eum in Altonvillari (ut ex gestis scribit Vincentius Beluacensis episcopus) loci fundator, sanctus Niuardus episcopus Rhemorum, reuersum ex Luxouio, & regularibus disciplinis institutum ab Eustachio abbate. Dum autem multa ordinat & disponit, Dagouinus monachus, & viri sancti de fonte filiolus cum Iuda Sathanæ traditus, paternam oburgationem non ferens, in lecto decumbentem arrepto ferro occidit. Ex defuncti sepulcro longè post

Li. 24. Spe-
cilli, c. 114.
ES 15.

gè post oleum emanauit, cunctis morbo correptis salubre. Colitur autem à Rhemenfibus & Catalaunenfibus eius memoria decimo sexto die Octobris, quamuis quædam Martyrologia, natalem habeant die decimo octauo, qui sacer est Lucae, Euangelistæ & medico.

Cæterum, vt subábito num Remacii fuerit discipulus, etsi is, Nodgero teste, fuerit multorum cœnobiorum fundator, & rector: complurium discipulorum pater & institutor: sic etiam de loco quietis hæreo, an videlicet Altum villate, cui primus præfuit, alio nomine dicatur Denum; an verò, vt est in Indice abbatiarum Franciæ, distincta sint monasteria, illud in diocesi Remensi; istud, aliàs Monaster, in Cathalonensi. De quibus propriæ ecclesiæ sententiam audire exopto.

4^o. De sancto Gordanio eremita.

Ex ijs quæ nobis voce & scripto communicarunt Franciscus Barrus Prior Aquiscinctensis, & Adrianus Besemerus, Doctor & Professor ibidem.

Aquis-cincti, natalis sancti GORDANII confessoris. Qui, vt ex antiquis constat monumentis, multo antequam Aquis-cinctensis monasterij fundamenta iacerentur, in ea insula constructa ecclesiola, vel ædicula (quæ adhuc ex veterum monachorum relatione monstratur) sanctissimè vitam peregit eremiticam. Cumque locus interior, quasi insula, vndique paludibus & aquis occluderetur, per sinuosos tamen anfractus exeundi quandoque aditum reperiēbat. Vnde in pago Muntiniaco, qui Gallicè dicitur *Montigny*, qua Aquis-cincto Duacum iter est, fons visitur, negligentia tamen rusticorum corruptus, qui puteus sancti Gordani dicitur. Est etiam in monasterij penuario, puteus

Octobris 16.

N A T A L E S

qui aquam habet præstantissimam, quod ad sancti huius benedictionem referunt. Præterea constanter refertur, & vetustis picturis exprimitur, monasterium in Aquif-cinctensi insula, ex huius eremix consilio constructum esse à generosis viris Gualtero, domino de *Montigny* & *Piscuaria*, & Sigerò, domino de *Los* & *Corcella*. Vbi etiam cum aliquot alijs, vitam secuti meliorem, se suaque omnia Deo consecrarunt. Oportet tamen hoc consilium referre ad apparitionem post mortem. Gerardus enim secundus, episcopus Cameracensis, in literis foundationis, quas dedit anno supra millesimum septuagesimo nono, scribit parochianos suos genere & diuitijs præclaros Walterum & Sigerum, spiritu diuino afflatos, elegisse locum qui Aquif-cinctus dicebatur, ecclesiam volentes inibi restaurare, quam à sancto Gordano in eodem loco eremiticam vitam ducente, audierant quondam ædificatam fuisse. Est autem Aquif-cinctum sancti Saluatoris monasterium præstantissimum, Ordinis sancti Benedicti, diocesis Atrebatensis, duobus milliarijs à Duaco distitum. Quod natalem beati Gordani celebrat die decima sexta Octobris, sed officium canit commune confessoribus, præter duas proprias orationes ad Sextam & Nonam. Porrò ob tantæ viri benedictionem Piscuarienses in vetustæ ecclesiæ cæmeterio sepeliebantur, quod nunc constrictius est & solos excipit familiares famulos Aquiscinctenses.

Huic autem monasterio variæ collatæ sunt reliquæ, potissimum à Warino archiepiscopo Thesalonicensi, quam donationem sigillo suo confirmauit, anno millesimo ducentesimo trigesimo

NOBO,

nono, & à Roberto iuniore, Comite Flandrensi. Inter eas autem reliquias recensentur brachium sancti Georgij, pes alter sanctæ Marthæ, & annulus quo traditur Deipara virgo Iosepho desponsata.

Eundem locum in suo exilio per aliquot dies decorauit beatus Thomas Cantuariensis præsul, cuius martyrium per totum orbem Christianum celebratur.

Vide supradie 9. huius. Num. 4. in app.

5^o. De sancto Gurdinello.

Ex informatione Francisci Barri, Prioris Aquiscinctensis.

EO die, transitus S. Gurdinelli confessoris. Qui officium commune habet Duaci ad sanctum Amatium. Hunc quidam asserunt esse prædictum beatum Gordanium, & ex Aquiscinctensi insula à Sichero Duacum esse translatum. Verum Aquiscinctenses ex relatione antiquorum didicerunt, sanctum Gordanium adhuc sepultum iacere ad valuas sui templi, sub monumento marmoreo, quod introeuntibus est conspicuum. Duacenses verò Canonici S. Gourdinelli corpus, vna cum corpore S. Onesimi, sibi à Suestionibus donatum asserunt, cum S. Amati corpus ab eis referretur cessantibus bellis. Qui etiam pingitur iuuenis palmam in manu ferens. Quæ pictura beato Gordanio eremite conuenire non videtur.

a. Circiter annum Domini 896.

6^o. De sancto Lullo, episcopo Moguntino.

Observatio quo ad Belgium ex eius epistola, & ex officio in die sancti Bonifacij.

Manu. scripta in Germania, & citatur à Magdebur.

In diei officio.

IN Hirsfeldensi monasterio, natalis S. LULLI archiepiscopi & confessoris, qui sancto Bonifacio martyri dignè succedere meruit. Fuit natione Anglus, patria Maldubiensis, &, vt quidam addunt, vnus ex duodecim monachis quos sanctissimus Egbertus in Frisiam misit. Quo spectat quod extet beati Lulli epistola ad Gregorium presbyterum & abbatem, in qua illum præceptorem suum vocat. Gregorius enim fuit Ultraiecti primùm abbas, deinde episcopus. Præterea ecclesia Moguntina habet S. Bonifacium, cùm sanctissimæ ipsius conuersationis, affluentis doctrinæ, flagrantisque in Deum animi certiora experimenta cœpisset, inuitum ad Sacerdotij dignitatem prouexisse, & lateri suo semper adesse voluisse. Vnde eum in Belgio S. Bonifacio cooperatum esse, non est incredibile.

De eo plura videre licet in historijs Guilhelmi Malmesburiensis, & Laurentij Suriij. Zacharias Lul vocat: quidam etiam Iulium.

Decima octaua Octobris.

De sancto Monone, martyre Nassonia.

Ex historia manu-scripta, & instructione ex diui Huberti monasterio accepta.

IN Nassonia, natalis S. MONONIS martyris. Qui angelico monitu de Scotia Arduennam deuenit, vbi solus soli Deo multo tempore seruiuit, &

uit, & feliciter occubuit, à sicarijs latronibus confossus: Vbi etiam est sepultus in ecclesia quam ipse construxerat. Est autem *Nassoin* pagus illustris sanguine & reliquijs gloriosi martyris, sub ditio-
ne abbatis monasterij S. Huberti quod est in Andaino; à quo duobus milliaribus est semotus intra diœcesim Leodiensem. Nominatur discipulus sanctorum Remacli & Ioannis Agni, episcoporum Traiectensium ad Mosam. Ad eos enim de Scotia venerat, quæ regio multos sanctos velut stellas lucifluas, ad diuersas mundi partes transmisit. Cæterum beato viro ob titulum Christianitatis mactato, Pipinus rex regaliter decimas obtulit, quas habebat inter Letiam & Vicam: sanctus verò Ioannes Agnus clericorum, quos nunc Canonicos dicimus, ministerium ibidem instituit.

Vigesima secunda Octobris.

1^o. De S. Oelberto, martyre in Oisterhout, quem quidam Odelbertum vocant.

Ex narratione Danielis de Doirne, Buschij, Pastoris Oisterhoutani.

IN *Oister-hout*, natalis sancti OELBERTI martyris. Est autem dictus locus populosus pagus diœcesis Antuerpiensis, apud Bredam. Cuius incolæ hæc de patrono suo à maioribus acceperunt. Latrones quidam latrocinio suo deprehenso, illic per agrum fugiebant, vbi sanctus Oelbertus ex aratione fatigatus in somnum incidit, dormienti quæ mucronem suum apponunt, sanguine maculatum. Qui eos insequerentur, in beatum Oelbertum

Oelbertum inciderunt, eumque ut latronem iugulauerunt. Corpus autem truncum, ad facellum haud longè dissitum, caput abscissum insigni miraculo detulit: ipsaque iumenta, quibus in aratro usus erat, pro nouæ ac maioris ecclesiæ constructione, materialia sine auriga feruntur aduexisse. Quieuit autem aliquamdiu in *Oister-hout*, ubi est secundarius ecclesiæ patronus: sed Franci feruntur corpus secum abduxisse in *Thoulose*. An autem hic locus sit Tholosa, & quo tempore in *Oister-hout* claruerit, vel inde sit ablatum, ab omnibus incolis ignoratur. Natali die officium fit de communi martyris. Plura à Pastore ecclesiæ eius, viro docto & facundo cognoscere non potui, cum is ob persecutionem & furorem hæreticorum Louanium declinasset. Historiam suspicor intercidisse per frequentes barbarorum & piratarum incursiones.

Cap. 50.

Videtur autem aut ipse, aut alius eius nominis martyr, quieuisse aliquando Leodij ad sanctum Bartholomæum. Legitur enim in anonymo Leodienfium chronico hunc in modum, *Baldericus secundus ecclesiam sancti Bartholomæi in Leodio dedicauit, quam Godescalcus Præpositus maioris ecclesiæ edificauit, & duodecim fratres ibi instituit, & suis alodijs dotauit. Dicitur quod sanctus Ulbertus martyr ibi quiescit.*

2^o. De sociabus aliquot sanctæ Ursulæ.

Annotatio quo ad Belgas.

IN Colonia Agrippina, natale sanctarum virginum undecim millium, quæ pro virginittis constantia martyrio vitam consummauerunt. Quarum natalem circa annum octingentesimum quinquagesimum suis carminibus celebrauit Wandelbertus, diaconus Prumiensis monasterij:

Ex

Ex his beata Cunera apud Rhenanos, quod eo loci passa sit, valde celebris est, in territorio Traiectensi. Sunt etiam inter neotericos qui scribunt in hoc virgineo martyrum collegio fuisse Flandrensium principis filias Germanam & Luciam, cum matre Theodora. Cæterum ex diuersis causis, multa corpora de numero vndecim milium sparsim in Belgio habentur, ex Colonia aduecta. Vnica die effossa sunt in cœmeterio vndecim millium ultra quinquaginta virginum corpora, vt habet liber posterior de vita beatæ Iulianæ. Quem thesaurum illustris Margarita Flandriæ Comitissa, per diuersa loca reuerenter distribuit.

a. Vide Meierum in *Annal. Flandriæ*, an. 1279. ad fin. & die 17. Maij habet *Martyrologium monast. S. Amandi*: Ipso die Elnone illatio trium virginum Coloniensium.

Vigesima tertia Octobris.

1^o. De sancta Oda vidua

Ex historia ecclesiæ Amaniensis, & informatione quam cum D. Præposito accepi anno sepruagesimo quinto.

IN villa Amania, super fluuium Mosæ, natali sanctæ ODA, viduæ Boggi, Ducis Aquitanorum. Quam anno septingentesimo vndecimo in Gallia claruisse scribit Sigebertus, chronographus Gemblacensis. Auita fuit S Huberti episcopi, quæ post mortem mariti sui Boggi, catholici principis, dote contenta, Deo seruire satægit, & pauperibus. Sacerdotes & sacros ecclesiæ ministros in Domino dilexit. Ex suis bonis ecclesias fundauit, maximè Amaniensem, in qua quiescit. Ab ea quoque multa habet Leodiensis ecclesia,

ecclesia, quæ est S. Lamberti, sub quo præfule
floruit. Transtulit autem reliquias de tellure san-
ctus Floribertus filius S. Huberti, & in episcopatu
successor, septimo Idus Iulij. Quiescit Amania,
in collegiata S. Georgij, sui que nominis ecclesia
vno milliari ab Huyo.

Addunt quidam eam decorari, ex magnis regibus fidei
Christianæ cultoribus, Clodoveo, atavo: Childeberto, pa-
tre: Dagoberto, fratre. Sed & sanctas proles commemo-
rant, Arnulphum episcopum Metensem, Ferreolum epi-
scopum & martyrem; Modericum confessorem, & Tarcit-
tam virginem. Sed qualiter hæc consentiant & vade dicantur,
protus ignoro.

2^o. De beato Pompeio, eius sacellano.

Ex historia sanctæ Oda & informatione, ut supra.

Beatum autem Pompeium sacerdotem præcipuè dile-
xit sancta Oda, virum vita & moribus comprobatum,
intantum ut licet percussio abfuerit, palmam tamen
martyrij in sui corporis maceratione non credatur amis-
se. Sepultus est Amania in crypta sacelli, quod in monte,
ad honorem sanctæ Catherinæ Deo est dicatum, vstratius
tamen beati Pompeij dicitur, Gallicè *Saint Pape*. Altare
eius ecclesiolæ tres habet statuas, mediam Deiparæ, fini-
stram Catherinæ, & dexteram Pompeij, sedentis in habitu
sacerdotali cum calice in manu. Similiter depictus est in
pariete, sed stans, & brutis benedicens animalibus. Cum
autem rustici Missæ sacrificium inibi requirunt, sacerdotes
legunt ex more de communi confessoris non pontificis, sed
quia canonizatus non est, omissis collectis de confessore,
legunt alias contra pestem animalium.

3^o. De sancto Seuerino, Coloniensi episcopo.

*Ex Martyrologijs Colonia Agrippinæ, & historia S.
Euerigisti.*

Civitate Colonia, sancti Seuerini episcopi &
confessoris. Cuius catholica fide, maximo-
que

que sudore ac sana doctrina Coloniensium Burdegalensium, Tungrensium, vicinorumque ecclesiarum, ab infestatione Arianae hæresis sunt defensæ.

Scriptum est porrò in historia S. Evergisi, Euphratam Ariani dogmatis zizania Tungris tritico sanæ doctrinæ superseminasse. Contra quæ episcopus laborans inibi puerum Evergisium, cuius virtutum primitias mirabatur, ad se recepit. Quem etiam in Coloniensi sede successorem accepit.

Vigesima quarta Octobris.

1^o. De sancto Severino Treuirensi episcopo.

Ex catalogo episcoporum.

TReuiris, sancti Severini primi episcopi & martyris, qui cum Treuirensi ecclesia Tungrensem quoque, nondum ab ea diuisam administravit.

Addit Placentius (quod vnde habeat ignoro) eum fuisse filium Messeronis, Comitis Louaniensis. Huius natalis est vigesima quarta Octobris: sancti autem Severini secundi, vigesima prima Decembris.

2^o. De sancto Evergisto episcopo, martyre Tungris.

Ex historia ecclesie Tungris, à surio edita.

COlonia. natalis S. EVERGISLI episcopi Coloniensis, & martyris, archidiaconi & successoris S. Severini episcopi.

Qui Tungris natus, martyr fuit, & tumultatus. Locus vbi latrones eum occiderunt, nominatur *die groupel-steegh*. Habetque festum duplex in ecclesia

ecclesia Tungrensi. Sed inde est nono Calendas Martij, per Brunonem episcopum, fratrem Ottonis Imperatoris translatus Coloniam, ad sanctam Cæciliam.

Cap. 61.

Memorable est quod scribit in gloriam martyrum Gregorius Turonensis, Ebergisilum nostrum, dum validis doloribus medij capitis quateretur, diaconum misisse pro pulvere ad puteum martyrum Thebæorum: & exinde cum caput attingisset, dolore omni liberatum esse. Recensetur etiam inter episcopos Tungrensis diœcesis, eo quod Tungris fidei calore inflammatus intrepidè prædicauerit contra fœtorem idololatriæ. Est autem Tungrorum oppidum antiquitatis memoria celebre in territorio Leodiensi sub dominio episcopi. Historiam vitæ & translationis edidit Surius, tomo quinto.

Vigesima octaua Octobris.

De sancto Dodone confessore.

Ex historia manu-scripta Lobijs ac alibi, & rescripto patrum Lobiensium.

FAniæ, depositio beati DODONIS monachi, discipuli S. Vrsuari episcopi. Qui in pago Lomacensi, in villa quæ dicitur Vallis, religiosos habuit parentes, à quibus ad sanctum Vrsuarum Lobiam delatus est vt sacri baptismatis vnda purificaretur, atque vt proprius eius filius, in Dei obsequio educaretur. Fultus igitur superni regis præsidio, & beati Vrsuari salutifero animatus hortatu, iam prouectior omnem suæ hæreditatis possessionem, beato principi Apostolorum dele-
gavit, 12

gavit, in monasterio quod ex nomine fluvij secus illud decurrentis Waslerus est nuncupatum. Cui etiam monasterio S. Landelinus & Vrsmarus ipsum præfecerunt. Postea relicto onere regiminis, vicino in loco cellulam extruxit: in qua permissu pij patris Vrsmari contemplationi deditus, deposito onere fragilitatis feliciter in pace quieuit. Cùm autem multis prodentibus miraculis, nomen eius apud multos innotuerat, Dodilo Cameraensis episcopus, inito consilio cum suis archidiaconis, & cæteris commanipularibus, membra sancta congruo honore deferti Waslare ad S. Petri monasterium iussit. Et in illa translatione mulier quæ brachia dissoluta ori admoveere non poterat, cupiuit ea perfundi aqua, qua sancti membra à sacerdotibus abluta fuerant, & ilico sanitati est restituta. Post multa autem annorum curricula monitus est per visionem Leutbertus loci prouisor, vt eum in ecclesia collapsa indecentius quiescentem, honorificentius locaret. Quod per Fulbertum episcopum fecit, & ipse pro restauratione ecclesiæ cum gestatorio pignorum villas monasterio contiguas, & pagum Brachbantensem circuiuit, Deo etiam miracula aliquot in itineratione ad sancti sui honorem operante. Fuit autem Waslerum monasterium in silua Fania versus Theoraciam, sed prorsus dirutum est. Vnde corpus confessoris modo quiescit in Prioratu Lobienti, quid dicitur *Maustier en Faigne*, monasterium in Fania. Obijt in die sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ, sed transfertur in diem sequentem.

Verisimile est autem Vuaslerum non abbatiam fuisse sed Prioratum Lobio subiectum. Non enim pingitur sanctus Dodo cum baculo pastorali, vt ceteri sancti abbates.

Vigesima nona Octobris.

De S. Hermelende siue Ermelinde^a virg.

Ex historia ecclesie Meldariensis, & informatione
quam ibidem accepi.

Villa Meldricis, sanctæ HERMELENDIS
virginis. Hæc præclaris parentibus nata in
villa Odenca, virginitatem suam duodennis Deo
deuouit, atque consecrauit. Quam cum in villa
Beuecum duo fratres profanare vellent, qui in vir-
ginis concupiscentiam exardescabant, Angelus
eam iussit in Meldricem vicinam insulam recede-
re. In qua animam suam castitate virginali, obe-
dientia regulari, & mira abstinentia, insuper &
eremitica vita sanctificatam, Deo eam repetenti
reddidit. Post mortem verò per quadraginta
ocho annos à cultu sæculi laruit, donec miraculo-
rum gloria eam magnificante permotus Dux Pi-
pinus, pater beatæ Gertrudis, sacrum corpus le-
uauit è tumulo: prædiorum quoque maxima
multitudine locum ditauit, instituens illic sancta-
rum virginum monasterium. Quibus vt diuinum
sacrificium peragerent presbyteri ex monasterio
S. Bauonis, quod in vicino monte qui Teutoni-
cè dicitur *Calsmondt*, situm erat, adiuncti sunt.
Sed neutrum monasterium nunc subsistit. Est au-
tem Odenca apud Louaniolam, *ter dunck by Lue-
nenioul*. Meldricis autem insula nunc continens
est, & Meldaria dicitur, dictis locis, & Hugardix
in finibus Brabantie contigua. Vbi natalis virginis
celebris est cum nouem Lectionibus, die viges-
ima nona Octobris: diem porrò translationis, vn-
decimo

*Vulgo Mel-
darr.*

decimo Calendas Maij, & processionem cum corpore, tertio festo Pentecostes celebrant.

a. *Hæc est alia à S. Ermeliade sorore S. Gudilæ, de qua die 10. Iulij.*

Trigesima prima Octobris.

De sancto Foillano, episcopo & martyre,
cum collegis.

Ex historia eius manu-scripta, additis aliunde diuersis obseruationibus.

FOllis natalis S. FOILLANI episcopi, qui de Hibernia venit ad beatum Ultanum, germanum suum fratrem, qui Fossensem regebat ecclesiam: Et in saltu qui rustica lingua Carbonarius nuncupatur, martyrizatus est. Cuius vita virtutibus gloriosis, & miraculis copiosissimis illustris fuit. Fratres habuit dictum Furseum & Ultanum, cum quibus in magna eminuit sanctitate. De ea enim tribus his fratribus testimonium ferunt, Beda libro tertio historiae Anglorum, & libellus vitæ S. Fursei, cuius ibidem Beda præclare & prolixè meminit. Primùm enim, ut à citatis auctoribus accepimus, Furseus multis annis in Scotia, patria insula, verbum Dei annunciauit. Inde, omnibus relictis, per Britones in prouinciam deuenit Anglorum, vbi nobile construxit monasterium: & prædicatione verbi Dei multos incredulos ad Christum conuertit: & credentes in fide & amore Christi confirmauit. Quibus rite gestis, monasterium, & animarum curam, fratri sui Foillano reliquit. Et ipse ad eremiticam vitam secessit. Sed aliquanto post,

Beda li. 3. cap. 19.

Octobris 31.

NATALES

propter opus Euangelij in Galliam commigra-
nit; qua Latiniacum monasterium construxit.
Huius exemplo prouocatus Foillanus Romam
iuit, petiturus à Martino Pontifice episcopalem
benedictionem ad infidelium conuersionem :
qua accepta ad Gallias venit, fidei propagandæ
causa, & à beatissima Gertrude cum magna re-
uerentia est susceptus, cuius etiam dono Fossense
monasterium fundauit. Martyrio autem occu-
bit cum tribus discipulis, in silua Carbonaria,
loco Ampolinis: quod etiam diuinis indicijs re-
uelatum est sancto Ultano in Fossis, & sanctæ
Gertrudi Niuellæ existentibus. Est autem in lo-
co martyrij constructa abbatia S. Foillani Ordi-
nis Præmonstratensis, quæ adiacet muris Rho-
diensis oppidi in^a parochia, vt Bernardus loqui-
tur, episcopi Cameracensis. Natalis sancti est
ultimo die Octobris, dies eleuationis tertio Sep-
tembris, festum autem inuentionis concurrit
cum sancti Fursei fratris natali, decima sexta Ia-
nuarij. Cæterum sanctus martyr quietem acce-
pit in monasterio Scottorum quod Fossæ voca-
tur. His enim verbis utitur Einardus Caroli ma-
gni Cancellarius in historia^b miraculorum Mar-
cellini & Petri martyrum. Sed nunc aliter lo-
quimur, quòd hodie sit collegium Canonieorum
intra Fossas oppidum territorij Leodiensis. Tres
verò discipuli Niuellæ sunt sepulti in monaste-
rio Canoniearum S. Gertrudis, & cum S. Foilla-
no inuocantur in Litanijs Rhodiensis abbatie.
Fuerunt autem per Germaniam complura Scot-
torum monasteria, Colonia, Herbipoli, ac alibi.
Quæ Scoti, inquit Trithemius, multis annis in-
habitarunt, quousque à pristino feruore tepescen-
tes, &

Epist. 252.

In Chroni-
clis saugie
abbate. 7.

res, & in omnem dissolutionem remissi, expulsi sunt.

a. Ita loquitur & B. Hieron. contra Vigilant.

b. Vide eam apud Baronium, Anno Christi, 828.

Ultima Octobris.

Admonitio de sancta Nortburge.

COlonia, depositio sanctæ Nortburgis virginis, quæ translata est ad montem sancti Beati, prope Confluentiam. Hæc inter Belgicas Sanctas celebranda esset, si verè eam Barlandus nominaret filiam Pipini Hirstallij Brabantix ducis, ex Pletrude: Sed propria ecclesiaz, quæ natalem eius celebrant, affirmant claruisse Colonia in monasterio beatæ Mariæ, quod Pletrudis, non mater, sed matertera, construxit.

Barl. de Du.

lib. Brabat.

Apud Sur.

tomo 5.

Primo die NOVEMBRIS.

1^o. De sancto Vigore, episcopo Baiocensi.

Ex historia excusa tomo VI. Surij, & admonitione Jacobi de Markais, Præpositi ad S. Vedastum.

Civitate Baioca, sancti VIGORIS episcopi¹ Qui in Atrebatensi territorio parentes habuit, generis nobilitate & fide conspicuos. Est quæ regnante Childeberto Francorum rege educatus intra monasterium beatissimi patris Vedasti, ubi inter monachos tanta obedientia & humilitate præditus fuit, ut in ipsa adolescentia alijs omnibus gratiosior videretur: Cum autem parentes eum non tam monachum, quam opum suarum heredem cuperent, ille memor sententiæ Salvatoris, centuplum & vitam æternam ei qui parentes aut agros propter nomen ipsius re-

Matth. 19.